



FRIDER. ADOLPHI LAMPE
ORATIO
INAUGURALIS,
DE
SUMMA SAPIENTIA,

Cum Professionem Theologiæ Ordinariam
auspicaretur,

HABITA TRAJECTI AD RHENUM

A. D. VIII. KAL. JULII. CLC 15 CC XX.

40 73/15

Lampe

M 29. 468



TRAJECTI AD RHENUM,
Ex Officina GUILIELMI VANDÉ WATER,
Academiæ Typographi, CLC 15 CC XX.

TMD 171

N O B I L I S S I M I S
E T
A M P L I S S I M I S
I N C L Y T A E
U R B I S
T R A J E C T I N A E
C O N S U L I B U S
E T
S E N A T O R I B U S,
A C A D E M I Æ
C U R A T O R I B U S,
S T U D I I S A P I E N T I Æ V E R Æ
P R Ä S E R T I M C O E L E S T I S
P A T R O N I S,
E T
F A U T O R I B U S
O R A T I O N E M H A N C
L. M. Q. D. D.
F R I D E R . A D O L P H . L A M P E.



LIBRIS
T 3
ALLEGORIAS
HISTORIAS
SAGITTARIA
CARTINAS
SALVATORIS
ADAMANTIBUS
GARDENIA
SARINAS
PRIMA COPIA
MAGISTER
DOKTOR
OCTAVI
CARTINAS



ORATIO INAUGURALIS.

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI URBIS TRAJECTINÆ
CONSULES ATQUE SENATORES, CURATORES
ACADEMIÆ HUJUS GRAVISSIMI AC MUNIFI-
CENTISSIMI, ACERRIMIQUE LEGUM VINDICES.

MAGNIFICE RECTOR.

CELEBERRIMI DISCIPLINARUM OMNIUM PRO-
FESSORES, COLLEGÆ POSTHAC HONORATIS-
SIMI.

VENERANDI ET FIDISSIMI ORACULORUM SA-
CRORUM INTERPRETES.

SCIENTIARUM QUARUMCUNQUE DOCTORES
CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, SUBTILISSIMI,
CLARISSIMI.

CIVES, HOSPITES, MECOENATESQUE STUDIO-
RUM, QUOTQUOT ADESTIS, ORNATISSIMI.

TU DENIQUE FLORENTISSIMA ATQUE IN SPEM
REPUBLICÆ CHRISTIANÆ ET LITERARIÆ MA-
TURESCENS LECTISSIMORUM JUVENUM CON-
CIO, NOSTRA CURA, NOSTRUM DELICIUM.



uicunque ad grande aliquod & difficile
se accingunt opus, illos primo loco
ultimum, in quem collineant, finem,
sollicite meditari secum oportet. Pro-

A 3

ximum

ximum est, ut de adminiculis, quibus rite adhibitis, tanquam plenis velis, ad optatum provehantur portum, mature dispiciant. Quorum ubi se penuria laborare intelligunt, aut deserendum tempestive propositum, aut circumferenda diligenter mentis acies, si qua se offerat scaturigo, ex cuius divite penu sufficienter atque tuto media præstituto scopo congrua depromi queant. Quod si in illam felici sidere incideris, tum demum remis omnibus incumbere fas est, ut ex ipso fonte hauriatur, quicquid ille suscipiendo persequendoque operi in sinu suo idoneum continet. Atque ita demum de optato ejus successu & evenitu minime fallente statim ab initio bene ominari licet.

Habetis, Auditores Honoratissimi, in brev tabella, a quibus potissimum cogitationibus distractus fuerim, & distringar etiamnum, ex quo flexanima providentiae divinæ vis animum induxit meum, ut perquam honorificæ Amplissimorum hujus urbis Procerum vocationi, ad Professionem Theologicam ordinariam in splendidissima hac Academia obeundam, morem gerendum esse censuerim. Quanti hoc propositum sit ponderis, ex fine ejus, omnium, in quos mens ratione prædicta ferri potest, longe nobilissimo evidenter

ap-

apparet. Nempe, ut veræ Sapientiæ abstrusa
pandantur adyta: ut coruscantes Divinæ sapien-
tiæ, per tot tam naturæ quam gratiæ miracula,
radii in plena luce exhibeantur: ut stultitiae op-
positæ, quæ turpissimæ meretricis instar tot ho-
minum mentes a regia Sapientiæ via avertit, fu-
ci atque præcipitia detegantur: ut pectora ju-
ventutis Deo sacratae Sapientiæ cœlestis cognitio-
ne, veneratione, amore impleantur: ut iidem
ad semina hujus Sapientiæ aliorum animis, per
totum, quaquavorsum patet, orbem Christianum
cum spe uberrimi fructus inferenda aptentur; hic
cardo est, in quo omnis mea, ab hoc tempore,
versari cura, quo omne meum studium contem-
dere debet. Quod dum mecum volvo, & quid
in me consilii auxiliive sit, ad stadium hoc,
pulcherrimum oppido, sed longum tamen mul-
tisque anfractibus difficile, emetiendum, per-
pendo, conscientia tenuitatis meæ tactus merito
perhorresco. πΡΟΣ ΤΑΤΤΑ ΓΑΡ ΤΙΣ ΙΚΑΝΟΣ; (a) Hæc
vox si tanto excidit Apostolo, quanto me tremo-
re corripi oportet, misellum homuncionem, in-
fantem balbutientem, tyronem, qui limpida Sa-
pientiæ, quibus ille perfusus erat, flumina, vix
primis degustavit labris? Non sum adeo ignarus
rerum,

(a) 2 Cor. II: 16.

rerum, ut me lateat plane, quam prolixa sit, præcipue Magistratum, quorum authoritate & favore arduum hoc munus humeris meis est impositum, de me exspectatio. Sed hoc ipsum mentis meæ perturbationem in immensum auget, quæ scrinia sua excutiens curtam nimis in illis suppellestilem deprehendit, quam quæ tantæ spei paria faceret. Deum, scrutatorem regnum, submissæ testor, his cogitationum fluctibus plus semel me ita fuisse obrutum, ut declinandum potius hanc provinciam subiret animum, quam ea suscepta mihi quidem notam temeritatis inurere, caussam vero Dei & Ecclesiæ Christianæ prodere. Miserata autem hos errores divina clementia vacillantes gressus firmavit, dum in Filiō Dei, unico Ecclesiæ Doctore, perennem Sapientiæ omnis fontem commonstravit. Hunc si humiliter adirem, huic si totum me immergerem, obstacula quæcunque me facile superaturum, neque operam in obtinenda meta frustra plane consumturum esse.

Et hoc quidem solamen tam tempestive corda demulcens tanta me implevit fiducia, ut divinum statim nutum alacriter sequi constituērim. Cum vero insimul de arguento deliberarem, in quo pro auspiciis hujus muneris ex more consueto

sueto oratio mea versaretur, eadem cogitationum serie inductus non abs re fore confidebam, si de SUMMA illa SAPIENTIA, de ipsa illa scatetbra, unde omnis veritatis salutaris cognitio, ejusque aliis tradendæ habilitas promanat unice, hac hora verba facerem. Ecquid enim meis rationibus erit convenientius, quam institutionem, quæ aliorum animos vera Sapientia imbuere debet, a primæ ejus Effectricis consideratione ordiri, atque ita jam ab initio desiderio ejus per penitorem ejus meditationem, nec non disciplinæ & obsequio ejus adsuescere? Quid porro vobis, Patres Conscripti, conatus meos magis commendabit, quam quod in prima laborum meorum linea jam oculis vestris subjicere gestiam, quem terminum curarum mearum omnium mihi per gratiam Dei posuerim, & quem trahitatem ad illum obtinendum initurus sim? Quam forte vero & vobis, o dicata Sophiæ cœlesti pectora, currentibus addidero calcar, si ad ipsa Sapientiæ, cui tanquam inæstimabili thesauro inhiatis, incunabula vox provexero; si amabilem illius, qui eam, non ut Jupiter olim fingebar Palladem e cerebro, sed ex ipsa omnisufficientiæ suæ abyssō protulit, imaginem tenui penicillo adumbravero; meoque, quantum pote, exemplo,

B

ut

ut castissimum hunc atque intaminatum scientiæ ac salutis omnis laticem in vestros usus rite convertatis, induxero? Quis denique in tota hac Musagetarum spectatissima supererit corona, cum insita nobis omnibus per naturam ipsam sit profunda quædam sapientiæ veneratio, qui non volens lubensque tractationi sanctissimæ de ipso omnis Sapientiæ apice ac meditullio per horulam vacaret?

Certus idcirco de vestro omnium, quoad rem ipsam, quam definiendam suscepi, suffragio anchoram solvo, divinæ gratiæ Favonio vela orationis meæ permisurus, cursumque ejus ita directurus, ut Primo, Quisnam ille sit, quem sacrae paginæ in sensu sublimiori SAPIENTIÆ, sive SAPIENTIARUM nomine ornant, extra controversiam ponere satagam; Tum vero, Quo jure, quantaque efficacia hic honor eidem competit, pro modulo meo & temporis ratione percensem.

At, at! novus egressum ex portu jam mollientem occupat pavor, ubi, quam parum argumento tam augusto & ingenii mediocritas & dictionis minus exercitatæ balbuties respondeat, mecum reproto. Neque tamen revocare gradum, propositoque absistere integrum amplius est.

Quare

Quare vestram O. O. A. A. H. H. qua par est
submissione, non benevolentiam tantum, ad va-
civas mihi aurum vestrarum præstandas ædes,
sed & patientiam exposco, ut si quid impruden-
ter exciderit, sique in tanta rerum dicendarum
ubertate atque excellentia non omne tulisse vobis
punctum videar, in meliorem id partem inter-
pretari & parcum ingenii mei proventum medi-
tationis vestræ fæcunditate sublevare velitis. In
eam jam descendimus arenam, in qua vel exer-
citatissimi deficerent, quod ipsum HERMETEM
illum TRISMEGISTUM non plane latuisse vi-
detur, quando monet: *Est, o fili, secretus quidam*
SERMO SAPIENTIÆ, QUEM DICERE SU-
PRA HOMINEM EST. (a) Cum igitur in ma-
gnis & voluisse sat sit, si meæ quoque intra co-
natum subsidant vires, venia vestra indignus non
videbor.

Primus inter Scriptores sacros, qui ipsum Sa-
pientiæ cœlestis Authorem SAPIENTIÆ seu
SAPIENTIARUM significanter ornavit titulo,
sapientissimus Regum Israelis, Salomo fuit. Sunt
quidem, qui nominis hujus in Jobi etiam libro
prima quæsivere vestigia, sed numero haud
adeo multi, nec rationum pondere prævalentes.

B 2

Sa-

(a) LACTANTIUS de vera Sapientia, seu Inst. Divin. lib. iv. c. 7.

(a) Salomoni vero, ut in hoc nomine deliciare-
tur,

(a) Elogium Sapientiae, quod Job. xxviii. 12. seqq. occurrit, de ipso Dei Verbo seu Filio agere censuere EUSEBIUS Præpar. Evangel. lib. vii. 12. GREGORIUS Moral. in Job. lib. xviii. & ex recentioribus RAYMUNDUS Pug. Fid. P. iii. dist. i. c. 7. §. 10. Neque hunc significatum excludendum esse ipse Celeberrimus COCCEJUS existimavit, quem discipulorum ejus quidam secuti sunt, inter quos & Cl. HOEKIUS ad h. l. nomen suum profitetur. Securius tamen erit in illo loco ipsum mysterium salutis, ejusque salutarem cognitionem intelligere: (1) quia nihil in toto contextu occurrit, ex quo evinci possit, de aliqua persona agi. (2) Quia nihil etiam, quod divinam excellentiam indicat, ex hac pericopa erui potest, & contrarium potius suadet vs. 27. ubi Deus dicitur illam *vidisse*, & *vestigavisse*, & quidem tum *cum faceret imbri modum & viam fulguri tonitruum*, quod ad opera Dei externa tam creationis quam providentiae pertinere negari nequit. Scriptura ita de Filio Dei nusquam loquitur, & si loqueretur, procul dubio adderet alia, quæ in sublimiori sensu, quam quem verba hæc primo obtutu exhibent, ea capienda esse clarius indicarent. (3) Quia vs. 27. dilucide declaratur, quid Jobus per Sapientiam & Prudentiam intelligat: *Ecce Timor Domini est Sapientia; & recedere a malo Prudentia.* (4) Quia ipse Coccejus generaliorem Sapientiae significatum heic agnoscit, cui id, quod de Sapientia hypostatica cuidam heic simul in mentem venire posset, tantum subordinat. Confer hujus Diagrammata ad Jobum opp. posth. Tom. i. p. 255. 256. Has rationes, quæ opponuntur, elevare non videntur. Quod enim (a) provocatur ad נ emphaticum in חחכמָה, ex eo refellitur, quia & nos sublimiorem sensum heic admittimus. Quando additur (b) descriptionem Sapientiae, quæ hic exhibetur, significantissime Filio Dei competere, quoad quasdam phrases quidem admitti potest, quoad omnes vero non quadra-re, ex secundo nostro argumento perspicitur. (c) Frustra etiam supponitur, Sapientiam & prudentiam, quæ vs. 27. descri-

tur, & in ejus, cui id pleno jure competebat, laudes effunderetur, pulcherrima aderat occasio. Cum enim Sapientiæ admirabilis lumine supra omnes mortales collustratus esset, non ignoravit tamen, se ad illud Sapientiæ, cuius homo in terris capax est, culmen evectum, nil nisi cœlestis Salomonis umbram esse atque præludium. Quis enim sibi persuaderi pateretur, Regem in ænigmatica veterum scientia versatissimum, ænigmati huic eminentissimo, quod proxime personam ejus concernebat, cuius sensus Davidi, Patri & Decessori ejus, non fuit absconditus, quodque fundamentum fuit vaticiniorum de fatis Ecclesiæ a Spiritu Sancto per Salomonem editorum, solvendo non fuisse? Hujus igitur verendi mysterii probe conscius, nihil prius habuit, quam ut venerationi, quam totius orbis Sapientiæ ejus exhibebat, modum poneret, & a lychno ad Phosphorum, a discipulo ad Magistrum, a rivulo ad Oceanum omnes Sophiæ cultores allegaret.

B 3 San-

describitur, ab illa, quæ commate 12. inducitur, diversam esse. Nullæ hujus diversitatis apparent notæ. (d) Neque commode ad Proverb. viii. provocari, ex collatione locorum, & tot characterum, qui tum personam, tum personam divinam describi, evidentissime demonstrant, ut in ipsa oratione docemus, cumulo ad oculum patet.

Sanctissimis his cogitationibus districtum fuisse
Salomonem, quando Proverbiorum suorum con-
signabat prologum, & Sapientiam elegantissimo
dictionis ornamento quasi in scenam producebat,
patebit amplius, ubi quid præcise per Sapien-
tiam hanc indigitaverit, in aprico posuerimus.

Interpretes in varias heic abeunt partes. Lon-
giuscule a linea aberrant, qui perfectionem illam
mentis, quæ Sapientia dicitur, ab omni subiecto
abstrahi entusiasmo quodam vel poëtico vel a
poëtico non admodum abludente, introduci exi-
stiment. Fatemur quidem schemata ejusmodi in
Poëtarum & Philosophorum vetustis monumen-
tis occurrere haut pauca. Quis enim ignorat
Astræam, terris, quas seculo aureo habitaverat,
ob sequentium ætatum labem relictis cœlos re-
petentem? Aut Herculem XENOPHONTIS Pro-
dicium a duabus mulierculis, virtute ac volu-
ptate, impetum, a priore vero, ut se sequere-
tur, persuasum? Aut vitia & virtutes omnes,
atque inter posteriores primo loco Scientiam, fœ-
minarum habitu in CEBETIS tabula pictas? Ve-
rum ipsas scriptorum profanorum, sive prosa sive
ligata dictione uterentur, consulenti leges consta-
bit, insolens illis & frigidiusculum esse, ejusmodi
figura in ipso pene sermonis exordio, aut inter præ-
cepta

cepta morum uti, aut eandem Prosopopœiam aliquoties in eodem libello repetere. Et quoniam in fictione personæ aliquid aud impossibile, aut saltem falsum continetur, solent, qui ea utuntur, talia vel præfari, vel inserere, vel in epilogo adjungere, quæ fabulam narrari liquido ostendunt, quale tamen nihil in contextu Parœmiaſtæ Regii appetit. Sacros vero authores ubi consulimus, quamvis ex eorum stylo omnis prosopopœia non sit proscripta, rariuscule tamen eam, absque ulla affectatione, & quasi in transitu tantum, adhibent, ne majestati divini sermonis quicquam decedat, a qua nihil magis abhorret, quam inanis verborum nihil significantium cumulus, qui a tam prolixa fictæ personæ inductione separari nequit. Porro boni interpretis partes sunt, ut figuratam dictionem non admittat, nisi quando propriæ locus esse nequit. Unde nec prosopopœiam facile statuere fas est, nisi ubi nec loquentis nomen, nec quod loquitur, personæ convenit. Istud autem hic secus se habere sequentia evincent. In iisdem nos demonstratos anticipando pollicemur, Sapientiam, quam Salomo introducit, divinam sibi tribuere excellentiam: quod, nisi persona divina actu loqueretur, & rationibus summe perfecti veracisque Numi-

nis

nis, gloriam suam alteri non dantis, plane es-
set contrarium, & periculosisimæ plenum opus
aleæ. Quid enim idoneum magis fuisset veneno ido-
lolatriæ animis Judæorum ad eam nimium quan-
tum jam proclivibus altius instillando, quam e-
jusmodi Sapientiæ non in personam tantum &
mulierem, sed & in Deam transformatio? In-
caute sane talia schemata adhibentes gentilium
Philosophi superstitioni nefandæ, quæ *Virtuti*,
Pietati, *Fidei*, *Justitiæ*, *Clementiæ*, quin & ipsi
SAPIENTIÆ sub nomine *Mentis*, nam *Mens*
quoque *Numen* habet, ait ille, (a) templa atque aras
erexit, obstetricium præbuere. (b)

Ex eadem causa concidit sinistra eorum inter-
pretatio, qui certo cuidam subiecto **SAPIEN-**
TIAM nostram adstringunt quidem, sed tali,
quod longe infra excellentissimas, quas Spiritus
sanctus ei adscribit, perfectiones subsedit. In
gravem hunc errorem incidunt, quotquot sive
ex Judæis *Viros Sapientes*, homines ad cognitio-
nem Legis invitantes, eaque imbuentes, sive
ex Pontificiis Giganteo ausu Beatam Virginem in
sce-

(a) OVIDIUS vi. Fastor. Confer Vossium de idolol. lib. viii.
c. 12. 13.

(b) Plura dabit, quem evolvere heic impense suademus, Cel.
PLACÆUS Opp. Tom. ii. Disputat. xviii. p. 190. seqq.

scenam heic introducunt, (a) quibus facili opera os obturabit, qui vel per transennam tantum illustrissima SAPIENTIÆ, quam Salomo laudat, prædicata intuebitur.

Sed Syrtes has evitare videntur, qui, quæ heic Sapientiæ adscribuntur, tam augusta esse agnoscunt, ut Sapientiæ generatim consideratæ, ejus saltem, cuius etiam creatura capax sit, indolem longe excedant. Referendam idcirco ad tale subjectum censem, cui perfectissimo modo insit, quod cum extra Deum non reperiatur, SAPIENTIAM Salomonæam tanquam attributum divinum, per quod Deus summus scientiæ prudentiæque omnis Archetypus & Magister est, considerant. Ita qui opinantur, in diversas iterum cohortes discedunt.

Vix a me impetro, ut portentosæ Valentianorum doctrinæ mentionem heic injiciam, qui in Æonum suorum miro systemate ΣΟΦΙΑΝ quoque memorant, cuius fœtus undiquaque deformis sit Ἀχαμώδ ex חכמתה Salomonis indubie

C effi-

(a) Inspiciatur, sed cum detestatione, CORNELIUS A LAPIDE in Proverb. VIII. 1. confiteri non erubescens, mystice Ecclesiam hæc proprie adaptare B. Virginis; unde hoc caput legit in lectionibus festi B. Virginis ad Nives die V. Augusti: futilibusque ratiunculis impiam hanc verbi divini detorsionem incrustans: quin ex hoc fundamento suum in Proverbia Commentarium Virginis Deiparae inscribens.

effictum sit, adeoque cum εοφίᾳ Græcorum idem plane designet, aut imperitos admodum fuisse necesse est, qui vocabulis plane synonymis res diversas indicare voluerunt, aut insignes nebulae, qui vocis sensu æquipollentis in peregrinam terminationem flexione ignaris illuserint. Nos monstra hæc opinionum suis relinquentes tenebris duo potius alia sententiarum discrimina huc facientia nominamus.

Quidam enim *Sapientiam Deo essentialē*, quam tamen cum creaturis certo modulo communicet, intelligi volunt, in quas latebras ipse, cum premeretur, SOCINUS, quem ad seclæ sequuntur, se proripere quæsivit [a]. Alii vero, cum stricturas hujus Sapientiæ lucidissimas revelatio exhibeat, ipsum *Verbum seu Legem Dei* designari opinantur. In hanc hypothesin pedibus eunt plerique Judæorum Magistri, qui Legem Dei cum sex aliis rebus ante mundi incunabula conditam esse autho-

ritate

[a] Afferuerat ille Animadv. Posnan. c. 2. Salomonem per pro-sopopœiam de Sapientia in genere &c in abstracto loqui. Cum vero a Gabriele Entropio, Canonico Posnaniensi, ei evictum esset, Salomonem de Dei Sapientia, quin de Sapientia Deo propria agere, videri vult, se non negasse, Salomonem de Dei Sapientia loqui, licet negaverit, Sapientiam istam unquam eo loco Dei Sapientiam appellari. Defens. Animadv. in assert. primam c. 7. §. 2. Biblioth. Polon. Tom. II. p. m. 666. sq. quæ quam parum sibi constent, hic demonstrandi locus non est. Adeatur & ENJEDINUS ad h. l.

ritate Salomonis evincere volunt, (a) quos ex Christianis Interpretibus haud pauci, & inter eos ex nostris quoque SEBASTIANUS MUNSTERUS ac JOHANNES MERCERUS secuti sunt. Utrosque tamen omnino ratio fallit.

Priores hypothesis adsciscunt usui Virorum ~~θεοπνεύσαν~~ plane contrariam. Nunquam illi perfectiones divinas cothurno induunt, & præceptadantes, inque laudibus suis paratragœdiantes introducunt. Gloriam quidem perfectionum suarum sœpe numero a contemtu profanorum Deus vindicat. Sapientiam & potentiam suam contra providentiæ abnegatores in Jobo (b), justitiam contra sugillationes Judæorum per Ezechiemel (c) defendit. Neque tamen has virtutes loquentes facit, ne quis eas a se diversas existimaret, quod simplicitati ejus plane esset contrarium, sed ipse pro illis, id est pro seipso, perorat. Et quid a veritate magis abhorret, atque ad instillandos perversos de perfectissimæ mentis essentia conceptus pronius iter panderet, quam perfectionem quandam ad naturam Dei intime spectantem introducere, quæ se a Deo tamen distinguat, quæ se

C 2

ab

(a) De hac hypothesi ex professo agit RAYMUNDUS Pug. Fid.

Part. III. distinct. I. c. 7.

(b) Job. xxxviii. seq.

(c) Ezech. xviii. xxxii.

ab eo acquisitam ac prognatam , quæ ei in deliciis esse & alumni instar coram eo ludere se affirmet? Ut jam prætereamus , Sapientiam à Salomon proponi immediate docentem : quod de Sapientia , quæ essentiale Dei attributum est , simpliciter adseri nequit , cum Deum nemo unquam viderit , cumque Pater non aliter nisi per internuncios , Angelos , Prophetas , Apostolos nec non ipsum Filium locutus sit.

Neque minus incommodè Verbum Dei sive sub Oeconomia Legis , sive per prædicationem Evangelii tum ore prolatum , tum literis consignatum a reliquis heic intelligitur. Quamvis enim in eo lucidissimi Sapientiæ divinæ scintillent radii , nunquam divinitatis ei sunt adscripti characteres , aut in id translati honores. Quam absonum esset , Judaico adsurgere figmento , illudque statuere ante incunabula mundi , non possestum tantum , (a) quod decreti divini vi factum esse non incommodè diceretur , sed etiam genitum atque inctum esse (b)? Quam difficilis esset hyperbole , quæ adsereret , per Verbum hoc dominari Principes & omnes Judices terræ (c) quorum plurimos illud non

(a) Prov. VIII. 22.

(b) Ibid. 23---26.

(c) Prov. VIII. 16.

non tantum Salomonis ætate, sed & etiamnum latet? Quam duram id saperet catachresin, si eidem verbo non actiones tantum humanæ, sed tenerrimi etiam affectus adscriberentur, qualis est exempli causa *dilectio* eorum, qui Sapientiam diligunt. (a)

Alia ergo incedendum est via, ut nodus ænigmatis Salomonæi non secetur, sed placide solvatur. Illam vero insistere, qui per Sapientiam hanc, ipsam SS. Triados secundam hypostasin, Filium Dei unigenitum, intelligunt, & mihi persuasissimum est, & vos mecum A. A. H. H. amice conspiraturos spe certa ducor, si vobis veram primo a Salomone exprimi personam, dein personam illa divina radiare majestate, denique, non aliam, quam quæ locum secundum in Trinitate obtinet, intelligi posse, ordine evicero.

Personam esse vere subsistentem & ratione pollentem, quæ tam in primo, quam octavo nonoque Proverbiorum capitibus loquitur, varia fortissime evincunt. Perpendatur tantummodo totus Prologi Salomonæi nexus, qui ita est compositus, ut verba tum ipsius Salomonis, tum Sapientiæ alternent. Ex parte enim Rex Deo plenus veram mentis perfectionem, quæ Sapientia

C 3

cœlesti

(a) Ibid. 17.

cœlesti absolvitur, omni opera, sed diversimode, pro diverso fatorum Ecclesiæ decursu, inculcat. Ex parte vero in principio & fine alia quædam illustrior persona sermocinatur, quæ sub nomine SAPIENTIÆ, augustissimæ instar Divæ ac Reginæ, identidem præcepta Parœmiaстæ majori verborum pondere atque autoritate confirmat. Quid opus fuisset tali dictionis intervallo, aut quodnam inde prudentissimi Principis monitis pondus accessisset, si poëticus hic duntaxat fuisset lusus & inanis ejusdem plane rei sub alio schemate bis recurrente repetitio? Accedit evidentissima inter personam, quæ SAPIENTIÆ nomine insignita est, & Sapientiam tanquam attributum ejus spectatam distinctio. Quo pertinet, quod SAPIENTIA loquens Sapientiam suam, qua discipuli imbuendi, bonam esse præ unionibus testatur, (a) quodque Sapientiæ, quam eos sectari oportet, initium esse timorem Jehovæ (b) affirmat. Adde jam, præter nomen personale nutritii seu filii in sinu gestati, (c) attributa personalia, affectum letitiæ, (d) dilectionis, (e) deliciarum, &

qui-

(a) Prov. viii. 11. collat. cum vs. 10. quocum cohæret.

(b) Prov. ix. 10.

(c) Ib. viii. 30.

(d) Ib. 1. 26.

(e) Ib. viii. 17.

xi. bidij (5)

quidem apud filios hominis, (a) virtutes præterea à Sapientia, si tanquam virtus per se spectari deberet, distinctas, quæ tamen ei inesse prohibentur, quales sunt veritas (b) & justitia (c). Adjungatur his ingens actionum personalium acervus, clamor, (d) redargutio, (e) vocatio & extensio manus, (f) consilium, (g) apertio labiorum; (h) exstructio domus & mensæ apparatio (i) Idem supponunt tot circumstantiæ extra relationem ad certam quandam personam frigidiusculæ, quando locus SAPIENTIÆ prædicatrii tribuitur in foris, in ostiis portarum, (k) in summo locorum sublimium, juxta portas in aditu oppidi, in introitu ostiorum (l), quando etiam domus ejus, habens valvas & postes ostiorum, (m) delineatur.

Quamvis enim hæc forte singula personalem SAPIENTIÆ rationem per se non probarent, ob figuratae

- (a) Prov. VIII. 31.
- (b) Ib. vs. 7.
- (c) Ib. vs. 8.
- (d) Ib. 1. 20.
- (e) Prov. 1. 23.
- (f) Ib. 24.
- (g) Ib. 25.
- (h) VIII. 6.
- (i) Prov. IX. 1. 2.
- (k) 1. 20. 21.
- (l) VIII. 1. 2. 3.
- (m) VIII. 34.

guratæ dictionis in sacris frequentiam, cumulata tamen tam operose fortissimum sententiæ nostræ propugnaculum præbent. Certe allegoriarum eo usque productarum nullum aliud exhiberi poterit exemplum: & si tot clarissimis subsistentiæ indiciis uno tenore propositis nondum adsurgendum sit, illicet, de omni personali discrimine, vel in ipsa Deitate, ex codice sacro eruendo, actum erit.

Quod vero personæ huic nomen imponitur, singulare tantum aliquod, quo excellit, attributum exprimens, neminem, nisi qui in sacris æque ac profanis literis plane hospes sit, morari debet. Notum est in vulgus, Deum sœpe dici *Decentiam, Justitiam, Sanctitatem, Amorem*: hominem *vanitatem*: Christum *Lucem, Vitam, Resurrectionem, Salutem, Gloriam ac Sanctitatem Iehovæ*; & sic sexcenta alia. Neque apud Græcos insuetum fuit, qui singulari scientiæ præ aliis laude inclytus erat, eum per emphasis ΣΟΦΙΑΝ (a) appellare.

Hoc evicto, *divinitatis*, qui personam hanc supra

(a) Democritum sane ΣΟΦΙΑΝ & ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΝ veteres dixerunt, Protagoram vero ΔΟΓΩΝ.. Ælian Var. Hist. IV. 20. Laertius vit. Philos. IX. §. 50. Clemens Alexandrinus Strom. VI. c. 3. Suidas in Δημόκριτο. Adeantur & Menagius ad Laert. Perizonius ad Ælian. Potterus ad Clement. II. cc.

supra omnes creaturas extollit, splendor facile apparebit. Divinæ plane sunt, quas SAPIENTIA sibi vindicat, perfectiones. Ad æternitatem provocat, quando non natales tantum suos ultra abyssos fontesque condita, ultra montes & colles fixa, (a) ultra quem terminum nihil est, nisi mensuræ mutationisque expers æternitas, sed etiam ultra molitiones Dei provehit: *Jehova*, ajens, habuit me principium viæ suæ, ante molitiones suas, pridem. (b) Non quasi in profundissima æternitatis voragine ullum ante molimina seu decreta Dei durationis punctum concipi queat, nam si esset, omniscienciarum divinæ illimitata æternitas vacillaret, sed ut nos doceat, hypostaticam suam cum Deo unionem ad essentiam divinam omnino pertinere, molimina vero non item. Unde exsurgit, si molimum Dei æternitas extra controversiam sit, æternitatem SAPIENTIÆ atque in existendo necessitatem, illa suo modo anticipantem, multo magis esse agnoscendam. Neque putem, alium facile ex sacris productum iri locum, qui efficacius æternitatis, cuius privum nomen in lingua Hebræa non invenitur, exhibeat periphrasis. Omnisscientiam porro atque omnipotentiam spি-
D
rant

(a) Prov. VIII. 24. 25.

(b) Ib. 22.

rant illa: *Meum est consilium & res: ego prudentia, mea victoria.* (a) *Consummatissimæ sanctitatis, quæ*

(a) Prov. viii. 14. *Omniscientia requiritur in Authore consilio, omnipotentia in Datore victoria.* Sed aliud etiam ex his verbis pro Deitate Sapientiae exsculptum argumentum, qui **חָוִשָׁה**, *res*, a **שֵׁי**, seu **יְשַׁה** derivantes *existentia* seu *realitas* vertunt. Utitur hoc argumento Cel. *Glossus Ονοματολ.* Messiae Prophet. p. 392. *Bohlius* explicat hanc vocem per *rem habentem substantiam, sibi constantem, seu jam factam constantem* Ethic. Sacr. p. m. 56. A communi sententia divortium facit Cl. *Gouffet*, qui non a **שֵׁי** sed a **שָׁוֹת** derivandum existimat, Lexic. p. 353. cuius tamen rationibus non opus est adsurgere. Mihi omnia conferenti, in quibus haec vox occurrit, loca, & perpendenti, quinam significatus his universim conveniat, satis planum videtur, **חָוִשָׁה** designare *finem operis minime fallentem, constanter fixum, certo obtinendum, seu quod coincidit, bonum verum atque permanens.* *Pagninus* ait: *quod vult homo, quodque præstolatur.* Ita sane malum de realitate boni, quod Sapientia suis amatoribus præstat, quam de qualitate essentiali, quæ perfectissimam existentiæ necessitatem involvit, capere: (1) ex ipso loco nostro, ubi subjungitur *consilio*, quod relationem ad alios habet. Quibus igitur Sapientia præstat consilium, illi ab eadem **חָוִשָׁה** seu eventum felicem, bonum durabile, consilii prudentis effectum, sperare possunt. (2) Evidenter id patet ex Prov. xi. 7. ubi non de Sapientia (uti vulgo adseritur, cum in hoc loco non de persona sed de virtute Sapientiae agatur) sed de *Jehova dante Sapientiam* dicitur; *recondidit rectis rem*, id quod aptissime per *solidam felicitatem & abundantiam omnium bonorum* explicatur. Eandem significationem in reliquis omnibus locis sensum optimum gignere, in quibusdam etiam exigi attenti lectors deprehendent. Unde *oi* ó plus semel vocem vertunt per *σωτηρία*. Et convenit Arabismus, in quo radix nostra designat *rem opere conficere*, seu ad optatum *finem perducere.* *Kromijerus* de usu ling. Arab. p. m. 103. Neque hac ratione infringitur argumentum, quod pro Deitate Sapientiae

ex

quæ nulla labe nec inquinata est, nec inquinari potest, gloriam sibi eadem SAPIENTIA vindicat, quando testatur: *In justitia sunt omnia dicta oris mei: non est in iis tortuosum & perversum.* (a) Et quid sublimius verbis exprimi, menteve concipi potest, ad omnissufficientiam absolutissimam exprimendam, quam ubi dicitur: *Divitiae & gloria penes me sunt: opes permanentes & justitia: . . . ut diligentes me faciam hæreditare rem, & apothecas eorum impleam?* (b) Quis nisi summus Legislator & immortalis seculorum Rex sustinuisse dicere: *In me Principes imperium exercebunt & Magnates, omnes Judices terræ?* (c) Quis nisi Judex cœli & terræ præmia obedientibus sibi, pœnasque refractariis, non temporales, sed æternas dispensare ausus fuisset? quod itidem SAPIENTIA facit, ingeminnans: *Aversio fatuorum occidit eos, & felicitas stultorum confidentium perdit eos.* Et auscultans mihi procumbet secure & tranquillus erit a pavore mali. (d) Inve-

D 2 niens

ex hac denominatione ducitur: tum quia Sapientia id sibi heic tribuit, quod c. 11. 7. ipsi *Jehovæ* adscribitur, tum quia ad finem exoptatum indubitato perducere, verique boni fruptionem dare nullius est, nisi qui supremus finis summumque bonum omnium sui cultorum est. In hanc sane Sapientiam summo jure quadrat illud Biantis apud *Diogenem Laërtium* de vit. Philos. I. §. 88. ΕΦόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας αἰνελάμβανε ΣΟΦΙΑΝ. ΒΕΒΑΙΟΤΕΡΟΝ γὰρ τέτο τῶν ἄλλων κτημάτων.

- (a) Prov. VII. 8. (b) Ib. 18--21.
(c) Ib. 15. 16. (d) I. 32. 33.

niens me invenit vitam, & impetravit gratiam a Jehova;
 at, qui peccat in me, vim facit animæ suæ. Omnes, qui
 oderunt me, diligunt mortem. (a) Unde, nisi ex
 summa Dei potestate, derivari potest dira illa
 peccatorum subsannatio: *Etiam ego in calamitate ve-
 stra ridebo, subsannabo, cum veniet pavor vester?* (b)
 Ita enim extremum nullique mortalium conces-
 sum severitatis divinæ actum sacræ paginæ defi-
 niunt: *sedens in cœlis ridet, Dominus subsannat ipsos.* (c)
 Quare etiam divinus eidem SAPIENTIÆ exhi-
 betur honor. Invocandam enim & quærendam
 esse, & quidem mature, absque procrastinatio-
 ne, infelix contemtorum eventus docet. *Tunc
 vocabunt me, & non respondebo, palpantes quærent me,
 & non invenient me.* (d) Neque extra curriculum
 me abreptum in puto, quando hunc adorationis
 honorem soli vero Deo competentem ex eo quo-
 que evinco, quod Sanctuarium, cuius Salomonæum
 illud olim umbra tantum fuit, ei non obscure
 tribuitur. Dum enim monet: *Beatus homo auscul-
 tans mihi, ut vigilet apud valvas meas quotidie, ut ser-
 vet postes ostiorum meorum,* (e) ad splendidissimam
 il-

(a) Prov. VIII. 35. 36.

(b) I. 26.

(c) Psalm. II. 4.

(d) Prov. I. 28.

(e) Prov. VIII. 34.

illam ædem, quæ excubiis vigiliisque Sacerdotum & Levitarum in ephemerias distributorum sollicitate custodiebatur, evidenter alludit, seque in domo Ecclesiæ N. T. septem columnis suffulta eundem cultum spiritualem exspectare, qui typice Jehovæ, Deo Israëlis, in templo exhibitus erat, declarat.

Cum autem firmissimo hæc talo innitantur, inter personas divinas solam esse *secundam*, quæ heic loquitur, probatu in proclivi est. A prima se satis ipsa SAPIENTIA distinguit, dum a Jehova se *possessam* esse docet (*a*). Gratis quoque tertiam IRENÆUS (*b*) substituit, cum non tantum nulla ita sentiendi suppetat ratio, sed etiam secundum stylum Prophetarum oleum, quo SAPIENTIA se a Jehova *inunctam* (*c*) esse adserit, Spiritus sancti, jam tunc in moliminum Dei initio Filio a Patre addicti, perpetuum emblema sit. (*d*) Neque moramur Pseudo-Mysticorum nærias, quartam aliquam hypostasin temere fingentium, quam SOPHIAM nuncupant, ipsique Filio quodammodo anteferunt, dum ad hujus communionem jam admissos per Sophiam ad pleniores essentiæ divinæ fruitionem introduci

D 3 perhi-

(*a*) Ib. 22.

(*b*) Irenæus Hæres lib. iv. c. 17. & 37.

(*c*) Prov. VIII. 23.

(*d*) Ps. XLV. 8. Jes. LXI. 1.

perhibent. (a) Occasionem forte fabulæ dedere, si non Gnosticorum, quæ modo tangebamus, somnia, incautæ Patrum Platonica philosophia nimis inescatorum locutiones. Nulla igitur restat, nisi secunda Deitatis persona, pro qua etiam omnia

(a) Sophiam hanc *Jac. Böhminus*, sutor Görlicensis, ejusque sequaces mirifice extollunt. *Johannes Pordage*, Anglus, magni inter fanaticos nominis & peculiaris sectæ a Böhmana distinctæ caput, libro satis spisso mysterium Sophiæ exposuit. Mirum est, Viros eruditionis haud proletariæ, *G. ARNOLDUM* & *Joh. PETERSENIUM* figmento hoc plane αγεάφω imponi sibi passos esse, hunc Apocatast. T. II. p. 8. seqq. illum vero libro peculiari jam anno 1700. edito: *Das Geheimniß der Göttlichen Sophia oder Weisheit*; cuius tamen poenitentia in extremis cum captum esse alii adseverant. Tantum sibi in hac fabula perplacent enthusiastæ, ut eam pro arcano maxime fidei suæ sacrario habeant, prophanis neutiquam vulgando. Unde & sciscitantur curiositatem variis plerumque effugiis elidunt, & tam affectatæ indulgent obscuritati, ut Delio nataore opus sit, ne quis præfocetur. Clarius tamen reliquis libro citato est *Arnoldus*. Mens eorum hac redit: *Dari aliquam Sophiam, quæ ab essentia divina non quidem sit realiter distincta; peculiariter tamen gaudeat hypostasi, & æterna Dei fœmina, Christi, ut & omnium fidelium mater, & sponsa, recte dicatur. Fingunt eandem tam suaviter fidelibus se unire, ut verus intercedat nexus conjugalis: à peccatis dein eos liberare, nova quadam in illis operari, nec non partu aliam producere creaturam, quam nutritendo, docendo ac consolando sustentet.* Monstrosum hoc systema resellitur a *J. Wolfg. Jägero Exam. Theol. Novæ Controvers.* VII. p. 125. seq. Alii tamen de eadem Sophia tanquam de creatura loquuntur, eo usque ut mulierem, de cuius creatione Gen. II. 27. agitur, seu ipsam Evam, Sophiam hanc fuisse perhibeant, quam etiam pro stylo, quem affectant, Chymico muliebrem tinturam appellant. Tales locutiones in *Gichtelii & Überfeldii epistolis* sunt obviæ.

omnia militant. Si nihil esset aliud, hoc solum sufficeret, quod se ALUMNUM & delicias Je-hovæ nominat. (a) Quis enim meliori jure hæc verba sua facere poterat, quam *Filius ille της ΑΓΑΠΗΣ* (b) & ΑΓΑΠΗΤΟΣ, in quo Pater complacitum habuit, (c) *unigenitus ille, qui IN SINU ejus fuit?* (d) Quis non agnosceret privum illum personæ secundæ characterem, æternam nempe a Patre generationem? quando Sapientia testatur: *Cum non essent abyssi, nata sum, cum non essent fontes graves aquis. Antequam montes fingerentur, ante colles nata sum.* (e) Accedit, quod pleraque, quæ SAPIENTIA sibi tribuit, cum iis, quæ in quamplurimis Scripturæ dictis sparsim Redemptori generis humani adscribuntur, ex amissim conveniant: quod, nisi arctis nimis temporis limitibus ingratiiis meis me circumscriptum sentirem, per partes exsequi in promptu esset. Talia sunt, quod ut summus Ecclesiæ Doctor toto orationis decursu loquitur, qui unicam ac universam salutis viam solus & cum potestate, qualis nulli Magistro in humanis competit, pandit: quod *confili-*

(a) Prov. viii. 30.

(b) Col. i. 13.

(c) Matth. iii. 17.

(d) Joh. i. 18.

(e) Prov. viii. 24. 25.

filiarius, principium viarum Jehovæ, vita & arbor vi-
tæ audit; quod cum irrisoribus contendit, quod
vocat iis renuentibus, quod extendit manum suam iis
non attendantibus, quod domum Ecclesiæ ædificat, ma-
ctationem maclat, vinum miscet, mensam suam instruit.
Sola horum characterum & actuum SAPIENTIÆ
recensio unicuique exercitatos in verbo veritatis
sensus habenti ingentem locorum parallelorum
iisdem ferme verbis excellentiam Messiæ descri-
bentium acervum in memoriam revocabit. Qua-
re ipsa illa infausta Anti-Trinitariorum cohors
nihil in concionibus SAPIENTIÆ observare po-
test, quod non conveniat Christo, præter illam
ejus, quæ pessime eos habet, quamque frustra
conquasflare student, antiquitatem. Neque sum-
ma tantum rerum fastigia carpenti argumentum
aliud non minoris roboris persequi licet ab ipso
implemento petitum. Heic enim omnes Eccle-
siæ N. T. periodi & vicissitudines percenseri de-
berent. Heic filum propheticum a præconio E-
vangelii, oretenus sub ipsis N. T. primordiis per
Doctorem Justitiæ instituto, quod graphice in pri-
mo parœmiarum capite describitur, usque ad
Reformationis consummationem, atque adulte-
ræ Antichristianæ ultimos contra veritatem co-
natus esset producendum. Ita enim suavif-
simum

simum aperiretur theatrum, in quo, quicquid Spiritus Prophetiae de SAPIENTIA nostra profert, per omnes, quas inflexit, atque etiamnum in Sanctuario suo inflectit, vias, accuratissime ad unguem recurrens cum insigni voluptate conspiceretur. Urgeri etiam apprime ad rem posset analogum admodum Filii Dei agnomen, quando רבר seu λόγος dicitur, quod non nudum SERMONEM, sed RATIONALEM, adeoque Sapientia summa dignum exprimit (a). Istud autem silentio premere nequeo, Servatorem ipsum, optimum sermonum suorum per Salomonem, in quo *Spiritus Christi* fuit, (b) interpretem, non obscure honorem illustris hujus nominis sibi vindicare, non tantum quando in Evangelio de se loquens SAPIENTIAM a Filiis suis, & quidem omnibus, uti Lucas addit, *justificatam* dicit, (c) quorum verborum nexus haud obscure ad contentiōnem SAPIENTIÆ cum Judæis, a Parœmia ste

E præ-

(a) Hinc ex Judæorum sententia **היא המאמר**, *Sapientia est sermo ille*, ut ait *R. Abraham Saba* in *Zeror Hammor* fol. I. col. 2. Et recte *Lactantius* div. institut. lib. IV. c. 9. *Melius Graci λόγον dicunt, quam nos verbum sive sermonem, λόγος enim & sermonem significat & rationem: quia ille est vox & Sapientia Dei.*

(b) I Petr. I. II.

(c) Matth. XI. 19. Luc. VII. 35. Ex professo hunc locum Christo vindicavit Celeb. *Markius* Exercit. Bibl. 30.

prædictam, adludit; verum etiam, quando increpationes suas tanquam a SAPIENTIA DEI prolatas commendat. (a) Ita enim consuevit Præco ille non mentiens, dum in terris obambulabat, quicquid ad excellentiam suam manifestandam ore proferebat, ex Prophetarum mutuari dictis. Quo pacto suavissimam doctrinæ suæ cum Mose ac Prophetis harmoniam, & quam longe ab omni honoris usurpatione, qui a Patre per Spiritum Prophetiæ sibi non esset datus, abhorreret, luculentissime ostendit. Voluit igitur, quando ΣΟΦΙΑΣ sibi sumxit nomen, pro more suo, Judæis illustrem hanc prophetiam in memoriam revocare, ut inde infelicem contentionis cum Sapientia exitum, atque ita justitiam moniti discerent & non temnere Numen. Vestigia hæc Magistri Apostolus gentium expressit, quando Servatorem mundi crucifixum Virtutem & Sapientiam Dei nominat, ac factum nobis a Deo SAPIENTIAM testatur. (b)

Quomodo ergo nos Christiani, tot rationum tam prægnantium robore inducti, illam gloriam Filii Dei in dubium vocaremus, quæ vel in ipsa antiquissima Judæorum catechesi ignorata fuisse

non

(a) Luc. xi. 49. coll. Matth. xxiii. 34.

(b) 1 Cor. i. 24. 30,

non videtur? Quid enim aliud est, quod Magistri Hebraeorum decantatum illud Regni Dei mystici systema per *decem Sephiroth* ita ordinent, ut in superiori tabulæ hujus Cabballisticæ parte CORONAM, SAPIENTIAM & PRUDENTIAM locent, cuius instituti eas addunt rationes, in quibus doctrinæ de SS. Trinitate semina acutiores facile deprehendunt? (a) Quid, quod TARGUMISTA HIEROSOLYMITANUS primam Codicis sacri vocem בראשית, *in principio*, verterit בחוכמתא, *in Sapientia*, quia nempe a Præceptoribus acceperat, prima legis voce illum designari, qui & *Principium viarum Dei*, & *Sapientia*, per quam terra fundata est, a sancto Parcemiaсте dicitur. Ne jam memorem, in libro apocrypho, qui *Sapientia Salomonis* inscribitur, talia SAPIENTIÆ tribui, (b) ut Authorem libri, qui procul dubio mysteriis prisorum Judæorum Kabbalisticis innutritus fuit, de Sapientia subsistente in essentia

E 2

di-

(a) Quamvis multos heic etiam ex nostris habeamus dissentientes, inveniri tamen in his Theologiæ Judaicæ vetustissimæ fragmentis ac reliquiis veritatis, quæ totius Oeconomiæ salutis fundamentum est, vestigia non contemmnda, docuere Celeberrimus Vitrina Pater Observat. Sacr. lib. 1. diss. 2. Ritterius de Trinitate, & ex professo Celeb. Meierus de Myster. Trinit. c. 2. p. 48. seqq. Quibus etiam jungi potest Observat. Hallens. vol. 1. Observ. 1. §. 11.

(b) Ecclesiastici 1. 5. sq. VII. 21. sq. IX. 4. 9. &c.

divina, quamvis à summo Patre distincta, cogitasse utique videatur. In dumeta vero Philosophorum gentilium heic divertere supersedemus. Quamvis enim non tantum in placitis Persarum & fragmentis Orphicis, sed etiam Pythagoreorum, Platonicorum, Peripateticorum scriptis varia occurrant, quæ compilata Authorum sacrorum, ipsiusque Salomonis de SAPIENTIA testimonia indicant, ita tamen luxata ac detorta sunt omnia, ut Teucrum Pacuvii ediscere, quam aliquid sani inde elicere satius esset. (a)

Incertiora ergo hæc linquentes audiamus potius straminea eorum effugia, qui Filio Dei tam amplas, quas in Sapientiam Propheta Regius concessit, laudes invident.

Ajunt igitur primo, si Salomo de vera persona loqueretur, necesse esset, istam personam jam tum populo uni-

(a) Illos sane νόον & σοφίαν pro Synonymis pene habentes, eamque a supremo Numine distinguentes ac αἰτιον esse πάντων statuentes, ex doctrina Hebræorum aliquid, quod ipsi non intellegebant, in usus suos convertisse, non est incredibile. Consultantur STOLBERGIUS dissert. viii. MORNÆUS de verit Rel. Christ. c. vi. PETAVIUS T. ii. Dogm. Theol. lib. i. c. i. HUETIUS Quæst. Alneth. lib. ii. c. 3. PFANNERUS System. Th. Gent. c. 3. CUDWORTH System. Intell. lib. i. c. 4. & ex eo WAYENUS de λόγῳ p. 58. sq. Quam caute tamen hic sit procedendum, ex collatione BASNAGII Hist. Jud. lib. iv. c. 3. 4. 5. integrisque in hanc rem dissertationibus a FEUSTKINGIO, NEUMANNO, & JAC. THOMASIO editis abunde constabit.

universo fuisse cognitam. Id vero falsum esse, vel ex nostratium hypothesi, qui mysterium istud plurimum in Deo personarum vulgo in Israëlis populo ignotum fuisse passim confitentur. Quantum hic est rimarum! Nolle aliquos nostrarum partium fuisse, qui fidem Patrum circa mysterium Trinitatis præter necessitatem nimis extenuassent. Hi quid responsuri sint, nos non attinet. Nos agnoscimus quidem spissam Judæorum plerorumque in rebus fidei ignorantiam, residuos interea fuisse semper, quorum corda Spiritus Sapientiæ illustravit proprius, ita ut verendum hoc mysterium eos non latuerit, idemque conservarint ac propagarint, cooperantibus Prophetarum scholis, & dogmatis ipsius ad viam salutis recte agnoscendam necessitas, & multa tum in sacris paginis tum in traditionis Judaicæ reliquiis vestigia confirmant. Quod vero personam quandam Deitatis novo & insolito hæc tenus nomine Paroemias Regius distinxerit, quid in eo est absonum? quid non cum toto Prophetarum choro ei commune, quibus semper in more fuit, præcedentium seculorum revelationes novis accessionibus locupletare?

Pergunt: Salomonem non Sapientiam tantum, sed una cum ipsa saepius prudentiam, sive intelligentiam, vel etiam separatim prudentiam & intelligentiam, tanquam personas

E 3

quas-

quasdam nominare. Quod manifesto indicet, illum de vera & certa aliqua persona non loqui, sed de re quapiam multiplici, ad quam significandam pluribus opus fuerit vocabulis. Generatim his opponi posset, ex diversitate virtutum ad pluralitatem personarum non esse argumentandum, cum plures, & sœpe quidem se-junctissimæ qualitates eidem personæ insint. Quanto minus ergo difficultatis hic erit, cum constet Sapientiam & Prudentiam, seu Intelligentiam, qualitates esse ita sibi invicem innexas, ut una alteram in se contineat, nec absque altera in quoquam subjecto reperiri queat? Quod etiam Schlichtingum in alterum extremum dedit, ita ut pro mere Synonymis hæc vocabula haberet, qualis tamen tautologia ne stylo quidem Sapientissimi Regis, nedum Spiritus sancti, convenit. Ut autem pressius antagonistas sequamur, notamus, in illa orationis parte, in qua Salomo SAPIENTIAM loquentem introducit, nam de ea sola disceptamus, semel tantum, sub initio nempe capit is octavi Prudentiam SAPIENTIÆ adjungi: *An non Sapientia clamat & Prudentia edit vocem suam?* Quod quomodo sententiam nostram ullatenus labefactare queat, non perspicimus. Scholas Magistrorum si salutemus, illi בינה seu Prudentiam in sytemate Sephirotico SAPIENTIÆ tertio loco jun- gen.

gentes tertiam forte adorandæ Triados hypostasin exprimere voluere. Neque abs omni ratione es-
set, eorum sequi castra, cum dicta SAPIENTIÆ,
quæ capite primo occurrunt, ipsi Filio Dei in car-
ne Israëlem docenti convenient, quæ vero octavo
commemorantur, ad illa tempora respiciant, in
quibus Servator non oretenus, sed per Spiritum ad
Ecclesiam locutus est. Sed obstat tamen, quod
SAPIENTIA ejusdem hujus capitinis commate quar-
to & decimo ^{טו בינה} seu *Prudentia* suum esse hono-
ris titulum exserte testatur. Nam ex abrupto,
in media phrasium correlatarum constructione
novam effingere velle personam novum inchoan-
tem sermonem, dilutum nimis est. Ipse ergo
Filius Dei, cum Salomo varie & *Sapientiam*, &
filiam ejus, *Prudentiam*, laudasset, utriusque vir-
tutis decus in se perfectissime junctum esse, u-
triusque se unicūm esse fontem declarat. Quo
ipso cavet, ne quis veram personarum in essen-
tia divina distinctionem tollendo, per Filium Dei
aut intellectum divinum, aut ideam Dei & vir-
tutum atque operum ejus, quam perfectissimus
ejus intellectus comprehendit, designari sibi ima-
ginetur. Dum enim se simul SAPIENTIAM ac
PRUDENTIAM esse testatur, quarum perfectio-
num illa intellectum, hæc vero judicium atque

vo-

voluntatem ornat, utramque sibi competere facultatem, idque absolutissimo modo, manifestum facit. Quin temporis etiam, ad quod posterior hæc Sapientiæ institutio proxime spectat, rationi hoc additamentum egregie convenit, nempe, ut Ecclesia ex viis inferni adulteræ Antichristianæ per Reformationem emergens, Sapientiæque divinæ per restitutam veritatis cognitionem radiis illustrata, in hoc beneficio non subsistat, sed lucem sibi accensam prudenter in usum suum convertere, atque in ea ambulare studeat.

Instant: *Salomonem inducere Sapientiam tanquam mulierem quandam, atque in circulo in fœmineo genere de ea præcipue loqui: at quis ferat, filium Dei mulieris indui habitu?* Quid autem, si id probandum esset? Num ex eo, quod nomen fœminei sexus de Filio Dei usurpatur, unde ejus quoque generis affixa & participia requiruntur, ipsi statim, qui loquitur, fœmineum præcise sexum tribui consequitur? Id verum si esset, Salomon ipse se transformasset in mulierem, quando nomen קְהַלָּת seu concionatricis adsciscens de se ait: *Ego Kohaleth fui Rex super Israëlem.* (a) Quam divitem vero mulie-

(a) Eccles. 1. 12. HIERONYMUS respondisset verbis, quæ habet ad Papam Ep. 43. *Non putandum, sexum esse in virtutibus Dei,* quum

muliebre hoc schema, per metaphoram adhibitum, fundat sensum, suo loco docebimus.

Quare & nihil præsidii illis, quibuscum disputamus, a *puellis*, per SAPIENTIAM missis, exspectandum est, licet ex illis quoque sequi contendant, *hic non agi de Sapientia, quæ sit persona, alioquin oporteret istas quoque puellas esse revera personas.* Sed quid impedit, quo minus pro personis habeantur *puellæ*, quæ omnino Ministrorum Evangelii in sacris sœpenumero emblema sunt? Quis enim negare ausit, *præconiatrices boni & puellas tympanistrias,* (a) æque ac *amicas Sponsæ,* (b) nec non *puellas Reginarum* (c) in canticis sacris, quis *decem virgines* (d) in parabola Evangelica Doctores Ecclesiæ exhibere? Ne jam Mirjam, sororem Moses, memorem, cum choro mulierum Israëliticarum, (e) divinarum laudum in redemtione Ec-

F cle-

quum etiam ipse Spiritus Sanctus secundum proprietates lingua Hebreæ fæminino genere proferatur Πνεῦμα; Græce neutro, τὸ πνεῦμα; Latine masculino genere, *Spiritus.* Ex quo intelligendum est, quando de superioribus disputatur, & masculinum aliquid seu fæmininum ponitur, non tam sexum significari, quam idioma sonare lingua.

- (a) Psalm. LXVIII. 12. 26.
- (b) Ps. XLV. 16.
- (c) Cant. VI. 7.
- (d) Matth. XXV. 1. sq.
- (e) Exod. XV. 20.

clesiæ ex spirituali Ægypto publicum præconium egregie præfigurantem.

Addunt denique adversarii & vel maxume crepant, *cum mulier stulta in fine capit is noni proso popœia sit stultitiae, antitheseos postulare legem, ut nihil sublimius de opposita Sapientia cogitemus.* Liberales si esse vellemus, secure nil nisi stultitiam in abstracto hic describi concedere possemus. Dispar enim omnino Sapientiæ atque stultitiae est ratio. Solus Deus cum sit consummate sapiens, fontem etiam Sapientiæ unicum esse constat. Stultitiae vero scatæbrae sunt quamplurimæ. Quare Sapientiæ originem qui tractat, circa unum tantum versatur objectum; qui vero stultitiae radices detegit, circa plura vagari potest. Verum non opus est, ut eo descendamus. Telum hoc, quod illis ineluctabile videtur, uno ictu retundent, qui mulierem illam stolidam, quæ cum prostibulo præcedentibus capitibus descripto eadem est, cum meretrice Apocalyptic conferentes, in illa evidenterissimam Antichristi imaginem deprehendunt.

Libero jam A. A. H. H. licet exultare campo: quoniam in vado res est, & qui in media luce non cœcutit, eum rationibus fortissimis adactum sub augustissimo hoc Sapientiæ peplo ipsum Unigenitum Dei Filium agnitorum esse speramus.

ramus. Atque utinam crescente orationis flumine nunc crescerent insimul ingenii vires, ut admirabilem illum splendorem, quo SAPIENTIA SUMMA micat, aliquanto propius mentibus vestris ingerere, illasque in ejus venerationem, amorem atque obsequium, velut Herculea catena, non tam trahere quam rapere possemus!

Maxima certe est perfectio, omniumque, quæ præstantiam ac beatitudinem mentis conficiunt, perfectionum fons & initium, quam Sapientiæ voce designamus. Unde TULLIUS eam merito Principem omnium virtutum dicit, & ex mente veterum Philosophorum rerum divinarum & humana- rum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientiam esse definit. (a) Non enim meram sui aliarumque rerum extra se notitiam involvit, sed etiam, ut CICERONIS iterum ore loquar, consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, & similitudines comparat, rebusque præsentibus adjungit atque annexit futuras. (b)

Si quis igitur sit, qui tam vasto polleat ingenii robore, ut rerum omnium, quæ sunt, aut esse possunt, adæquatias ac semper præsentes, non ali-

F 2 un-

(a) CICERO de Offic. lib. I. c. 43. lib. II. c. 2.

(b) Ibidem lib. I. c. 5.

unde hauserit, sed in se possideat ideas, eousque, ut intimam earundem naturam, seriem, fines, nexusque omnes, profundissime habeat perspectos: si idem cognitionis tam prolixæ, tam claræ & ab omni errore liberæ splendidissima opere ipso exserat specimina: si denique scientiæ hujus radios mentibus aliis impertiatur, ita ut divinæ hujus perfectionis imaginem & speculum quoddam suo quoque intellectu circumgerant, neque ulla universim mens sit aliqua veri & æqui cognitione pollens, quæ non lucem suam ab hac luce accenderit; illum SAPIENTIÆ nomine in sensu excellentissimo gaudere, nemo inficias ibit. Agite igitur, & quam plene, quam divine hæc omnia in Filio Dei conspirent, attenta, quæso, mente perpendite.

Et principio quidem, cum simplicissimum illud UNUM essentiæ divinæ cum Patre & Spiritu sancto Filius, præeunte verbi divini face, conficiat, per se sequitur, quicquid ad naturam Mensis perfectæ ita necessario pertinet, ut ab ea abesse nequeat, istud & Filio Dei PROPRIO ac NATURALI competere. Quis autem in dubium vocare ausit, mentem, nisi intellectu polleat perspicacissimo, tantamque rerum omnium intelligentiam domi possideat, ut & abyssum suæ o-

rum diabolus inimico

mnipotentiæ sanctissimæque libertatis habeat perspectam, quasque res extra se & quomodo esse velit, tum qua ratione illæ ad extremum finem, gloriam suam, sint dirigendæ, pernoscat probe, ita ut nullis nec ignorantiaæ nec erroris nebulis unquam obfuscetur, summe perfectam dici non posse? Quis non simul agnoscat, tam sublimem esse illam Sapientiæ, quam exhibuimus, imaginem, tam late patere regnum ejus, ut nulli nisi perfectissimo Numinis competit? Unde non Scripturæ tantum Solum Deum Sapientem esse (a) inculcant, sed ipsi etiam antiquissimi gentilium Doctores Sophorum nomen modeste respuerunt, sat honoris se nancisci ducentes, si Philosophi seu amatores Sapientiæ duntaxat dicerentur.

Dum igitur sacræ paginæ divinam Servatoris nostri gloriam ita adstruunt, ut nihil relinquant, quod ad eam extra omnem controversiam collocandam cum ratione desiderari queat, hanc sane perfectionem eidem expresse atque efficaciter adscribunt. Hinc cognoscere eum Patrem, idque excellentiori, quam quibus id a Filio revelatum est, modo, (b) & cogitationes hominum (c) quin renes &

corda,

(a) Rom. xvi. 27. Jud. vi. 25. Convenit istud PHOCYLIDIS:
εἰς Θεός εἰς τοφός.

(b) Matth. xi. 27.

(c) Matth. ix. 4.

corda, quibus nihil est abstrusius, scrutari (a) atque ita coram oculis ejus nihil esse occultum, (b) sed omnia eum nosse (c) affirmant. Eodem spectant emblemata Lucis, (d) Solisque omnia lustrantis, (e) & stellæ matutinæ lucidæ (f) seu Phosphori, (g) de Filio Dei frequenter adhibita: eodem oculi flamantes, (h) & quidem septeni (i) eidem adscripti. Porro Filium Dei omnia ita scire, ut sapientissime secundum hanc cognitionem judicium actionesque suas formet, eadem divinæ literæ nos ignorare non patiuntur, quod statim ex ipsis documentis per splendidissima opera editis liquido constabit. Merito igitur ΜΟΝΟΝ ΣΩΦΟΝ ΘΕΟΝ πον Patrem tantum, sed eodem quoque jure Filium Apostolus appellat. (k)

Cum vero hæc Filii divina excellentia nihil indicet, nisi quod ei cum prima tertiaque persona commune est, sola hæc ratio esse nequit, cur, etiam ubi a Patre distinguitur, SAPIENTIÆ no-

(a) Apoc. 11. 23; coll. Jerem. xvii. 9. 10.

(b) Hebr. iv. 13.

(c) Joh. xxii. 17.

(d) Joh. i. 9.

(e) Mal. iv. 2.

(f) Apocal. xxii. 16.

(g) 2 Petr. i. 19.

(h) Apoc. i. 14.

(i) Apoc. v. 6.

(k) 1 Tim. i. 17.

mine insigniatur. Merito ergo in hanc suspicione adducti sunt Theologi summi, præter metonymicum SAPIENTIÆ significatum, alium quoque metaphoricum esse admittendum, (a) ita ut relatio quædam, quæ inter personas divinas obtinet, eaque essentialis & naturalis, hoc nomine adumbretur. Cui sententiæ eo lubentius accedimus, quia SAPIENTIA se POSSESSAM a Jehova tanquam principium viarum ejus, & ANTE MOLITIONES EJUS testatur (b). Si enim, cum in principium viarum Domini, quod procul dubio per consilium gratiæ factum est, constitueretur, jam a Jehova possidebatur, ipsasque molitiones seu decreta hæc possessio antevertebat, quis eam possessionem ad ipsam Sapientiæ naturam pertinere negaverit? Accedit, quod a Scriptoribus N. T. significanter SAPIENTIA DEI dicatur. (c) Hoc enim involvit, non tantum Filium Sapientia perfectissima, sibi naturali, in unitate cum Patre gaudere, sed etiam certam quandam ei ad Patrem competere relationem, ob quam SAPIENTIA DEI, id est Patris, præcise dicitur, eamque relationem in ipsa Deitatis natura

(a) Inspici hic velimus Celeberr. MARKIUM Exercit. Biblic. xxx. §. 8.

(b) Prov. viii. 22.

(c) Luc. ix. 49. 1 Cor. i. 24.

æterna atque immutabili lege esse fundatam. Fattendum quidem est, filum orationis Paullinæ proprius insipientibus, Apostolum loco laudato in exaggerando gratiæ mysterio versari, illamque sigillatim benignissimi Numinis Oeconomiam ob oculos habere, qua per crucem Christi Sapientiæ suæ impervestigabilis eminentiam manifestare voluit. Verum id veritati, quam defendimus, nihil derogat. Opera enim Dei, & speciatim viæ, quas ad salutem nostram inflexit, fulgentissimum essentiæ ejus theatrum sunt, ex quo tanquam a posteriori agnosci atque celebrari voluit. Unde porro colligimus, quotiescunque divinæ naturæ Christi nomina & prædicata tribuuntur, quæ relationem ejus ad cœteras personas & præcipue ad Patrem exprimunt, etiam ubi mysterium salutis nostræ explicatur, toties necessarium aliquid atque immutabile in naturali personarum divinarum ad se invicem relatione, aut inter se ordine, supponi. Sicut ergo hanc communem nominum secundæ personæ characteristicorum, sive FILIUS, sive $\lambda\sigma\tau\omega\zeta$, sive alia affini dictione appelletur, rationem esse mihi quidem est persuasissimum, ita SAPIENTIÆ agnomen eandem possidere emphasis, ut credam, facile inducor. Quin analogiam etiam

sin-

singularem inter relationem SAPIENTIÆ ad
Mentem, & subsistentiam Filii in Patre ejusque
æternam generationem libenter admittimus. In
determinando autem hujus analogiæ modo, e-
jusque partibus propriis enucleandis ignorantiam
nostram fateri malumus, quam cum multis Pa-
tribus *acutisata*, ipsisque suis Authoribus non intel-
ligibilia, extra Scripturam. in medium proferre.
Sane licet Deus *Lux* sit, quæ claritate sua per se
micat, ipsa tamen Lux hæc *inaccessum* (a) aliquid
habet, quod adorare, quam curiosius investiga-
re tutius erit. Exigi mediocris, quo utimur,
ingenii cancelli infinitum Sapientiæ divinæ mare
longe minus capiunt, ac oculi nostri fulgentis
Solis, cum sudum est maxume, irretorto vultu
lumen intueri valent. Pertinet hoc ipsum ad de-
monstrandam consummatissimam Sapientiæ sum-
mæ perfectionem, & profundam ejus veneratio-
nem in mentibus nostris suscitandam, quod, li-
cet quamplurima sui vestigia admirandis suis ope-
ribus expresserit, plus tamen in recessu suo con-
tineat, quam nostri intellectus viribus unquam
attingitur.

Istud absque indignatione prætermittere pia-
G culum

(a) 1 Tim. vi. 16.

culum esset, Arrianorum, tam veterum, quam recentiorum, quorum in opposita nostro littori insula infausto sidere postliminio propullulantium ingens cheu messis est, eo usque progredi temeritatem, ut, quanquam per Sapientiam Salomonam Christum intelligi concedunt, ex ipsa tamen *Sapientiae* descriptione contra veram ejus Deitatem atque absolutam æternitatem tela ludere contendant. Quibus tamen vel solam hanc *SAPIENTIAE* notionem secure opponimus. Quam impossibile enim est, intellectum perfectissimum concipere absque sapientia, licet intellectus in nostro cogitandi ordine sapientiam necessario antecedat, eamque gremio suo contineat; tam certum est, Sapientiam hypostaticam ab omni æternitate in atque cum Patre existuisse, sive in sinu ejus fuisse, licet secundum revelatum personarum divinarum ordinem conceptus Patris conceptui Filii sit præmittendus. In vanum autem heic crepari, quod Hellenistæ τὸν Κύρον per ἔκτισέ με verterint, a Viris doctis abunde evictum est. Cum enim Interpretes Alexandrini, uti alias sc̄epissime, ita heic quoque ab Hebrææ vocis proprietate discesserint, authoritas eorum parum nos moratur. Verum & excusatos eos quidam habent, quia

κτίσειν

πτίζειν apud Græcos aliquando pro *gignere usurpa-*
tur. (a)

Sed stupentem in contemplatione penitissimo-
rum essentiæ divinæ, tanquam per transennam,
adytorum mentis aciem ad divina illa, quibus
Filius Dei SAPIENTIÆ nomen permeruit, ope-
ra deflectamus. Quod si ab ipso heic Pacis in-
ter Jehovam & Virum Zæmach consilio, æter-
naque, quam Filius pro peccatoribus suscepit,
sponsione ordiamur, quidni statim ab initio pro-
clamaremus : *O profunditas divitiarum Sapientiæ &*
cognitionis Dei! (b) Primas quidem decretorum di-
vinorum rationes juxta scimus cum ignarissimis.
Tantum tamen per revelationem nobis innotuit,
quantum ad demonstrandam Sapientiæ summæ,
quæ in tota hac caussa sibi ipsi Patrique a consi-
lliis fuit secretissimis, absolutionem sufficit. Quis
enim consilium prudentissimum de placanda per
obedientiam mortemque vicariam Dei ira, & li-
berando per conversionem ac sanctificationem ex
vinculis inferni peccatore, nisi infinita præditus

G 2 in-

(a) Evoluntur Sixt. AMAMA peculiari de hac re dissertatione
inserta Antibarb. biblico lib. 111. aliique citati ab Aug. PFEIF-
FERO Dub. Vex. Cent. 111. 87. quibus jungi posunt G. J.
Vossius Thesum Theol. 1. 1. STEPH. LE MOYNE ad Jerem.
xxii. c. 3. §. 10. WALTHERUS Harmon. Bibl. adh. l. & ex
professo J. H. Majus Theolog. Prophet. loco vii.

(b) Rom. xi. 33.

intelligentia , suppeditare potuisset ? Nemini sane in mentem id venire poterat , nisi , qui & viscera miserationum Dei & summum iræ ejus rigorem intime perspexerat , qui non futurum tantum lapsum , sed & impotentiam totius generis humani , ad inveniendum lytrum & δικαιωμα legis actu prævidebat : qui tot millena millia posterorum Adami ita in enumerato habebat , ut de singulorum in omnem æternitatem sorte atque exitu decernere posset : qui sanctissimas discriminis hujus in sinu suo possidebat rationes , & tales tamen , in quibus evestigandis omnis sapientia humana atque angelica deficeret . Hæc enim in plena emphasi est illa sapientia , cuius locum Jobus indagans testatur : (a) Non novit homo , quanti ea sit , & non invenitur in terra viventium . Abyssus ait , non est in me illa ; & mare ait , Non est apud me . Et abscondita est ab oculo omnis viventis , & a volucribus cœli occultata est . Perditio & mors dixerunt : In auribus nostris audivimus famam ejus . Deus novit viam ejus , & ille novit locum ejus . Hæc est Sapientia in occulto , quam Dominum sibi indicasse , Jesseides gratus agnoscit . (b)

Cum vero potentissimum Numen molimina ,
quæ

(a) Job. xxviii. 13. sq.

(b) Ps. li. 8.

quæ mente descripserat, in actum produceret, cum *Jehova in Sapientia fundaret terram, & cœlos in prudentia figeret*, (a) quod fecit, quando per *Filiū, seu Verbum suum secula adaptavit*, (b) quanta inde Opifici rerum SAPIENTIÆ laudum surrexit messis? Quotiescumque enim mens nostra sive in varietate, sive in pulchritudine, sive in ordine & nexu tot creaturarum, indicia causæ potentissimæ prudentissimæque in se circumferentium, defixa hæret, toties splendidissima Fabricatrix horum omnium SAPIENTIÆ recurrit imago, toties auribus ejus quasi ingeminatur istud Dei & Pastoris Israëlis encomium: *Quis mensus est pugillo suo aquas? & cœlum spithama aptavit? & mensuravit trientali pulverem terræ? & appendit in libella montes? & colles in bilance?* *Quis aptavit Spiritum Domini? & consiliarius ipsius faciet ipsum gnarum?* Cum quo consilium habuit, ut fecerit ipsum attendere? & docuerit ipsum iter judicii? & docuerit ipsum scientiam? & viam intelligentiarum fecerit ipsum cognoscere? (c) Accedit mundum non incassum esse conditum, sed eo consilio, ut habitaculum esset creaturarum rationalium, (d) immo ut theatrum esset operis salutis,

G 3

- (a) Proverb. 111. 19. coll. Jerem. x. 12, LI. 15.
- (b) Hebr. 1. 2. XI. 3.
- (c) Jes. XL. 12--14.
- (d) Jes. XLV, 18.

litis, absque quo Deus fruſtra creaffet omnes filios hominum. (a) Quomodo vero SAPIENTIA ſumma tam varium atque vastum opus ad illum finem perduxiſſet, niſi quicquid in theſauris Dei reconditum, & quicquid in tanto coeli terræque exercitu diſpari ordine juncto promovendæ per ſalutem hominum gloriæ divinæ idoneum erat, in timie cognoviſſet?

Quæ vero creationis, eadem & providentia divinæ eſt ratio. Quicquid enim in illa multiplicis Sapientiæ Dei, in quo vivimus, movemur & ſumus, quiqe gubernacula totius universi inconuſſo tramite moderatur, vestigia monſtrat, quicquid in illa admirabile & ſtupendum occurrit, iſtud ad laudes illius, qua Filius Dei excellit, Sapientiæ pleno jure pertinet, cum in ipſo omnia conſtant, (b) cumque ipſe verbum illud potentiaſe fit, per quod Deus omnia portat. (c) Præcipue quia habenā mundi SAPIENTIA ita moderatur, ut non tantum corporum cœleſtium perennes motus & fixus creaturarum quarumvis ordo, ſed & regnorū fata, liberæque hominum actiones, quin ipsæ hōſtium Ecclesiæ machinæ, iſpis licet inſciis

(a) Ps. LXXXIX. 48.

(b) Col. 1. 17.

(c) Hebr. 1. 3.

inisciis ac invitis, tacite consilio gratiæ inserviant, atque electorum salutem stabiliant.

Sed hora ruens ad ipsum nos salutis opus vocat, in quo tum cœteræ perfectiones divinæ tum præcipue Sapientia Dei splendidissimum sui spectaculum exhibuit. Hoc est mysterium illud *Dei & Patris & Christi*, in quo thesauri omnes sapientiæ et cognitionis, testante Apostolo, absconditi sunt. (a) Verborum hujus effati ea est constructio, ut dubites, utrum hi thesauri mysterio, an Christo ipsi inesse perhibeantur. Et certe, utcunque interpres, perinde erit. Si enim mysterium gratiæ omnes sapientiæ thesauros in se continet, eosdem ipsum Filium Dei sinu suo complecti fas est, cum ille totius mysterii gratiæ Alpha & Omega, principium, medium, & finis, fundamentum & terminus sit. Unde quæcunque in profundo hoc mysterio radiat Sapientia, adorem ejus Servatori nostro esse tribuendam facile colligitur.

Quam immensum nunc navigandum esset æquor, quam vasta rerum & eventuum admirandorum permetienda restarent spatia, si per singula ire, & secundum pandectarum sacrarum filum gressus SAPIENTIÆ in omnibus viis ejus ostend-

(a) Col. II. 3.

stendere liceret! Emicuerunt illi jam in Paradi-
so, cum conclamata post feralem ex arbore ve-
tita esum salute generis humani, SAPIENTIA,
tanquam *Vox Domini*, in horto ambulans (a) terro-
re quidem ingenti protoplastorum animos pro-
stravit, sed tamen mox iisdem, publicato Gra-
tiæ Testamento, ad melius sperandum signum
fusculit, calliditatem vero Serpentis seductoris in
eiusdem exitium convertit. Eadem SAPIENTIA
facile præsensit, gloriam divinam longe illustrius
demonstratum iri, si non uno ictu, sed certis
quibusdam gradibus consilium gratiæ evolveretur.
Ita enim futurum, ut πολυποίκιλη Dei Sapientia prin-
cipatibus et potestatibus, qui in supercœlestibus sunt, eo
evidenter notificaretur. (b) Noluit igitur ante ad
perficiendum salutis opus in mundum venire,
quam per plurimas promissiones, prædictiones
& umbras se mutuo illustrantes, eventui ita præ-
ludum esset, ut, quando actu ipso aderat, &
tam optatam liberationem præstabat, unusquis-
que ex tot vaticiniorum ac typorum accurata me-
ditatione characteres veri Redemptoris exsculpere,
cum persona Filii Dei in carne apparentis eosdem
conferre, & hac ratione in fide sua certus esse
atque

(a) Gen. III. 8.

(b) Ephes. III. 10.

atque ad fidelitatem & veracitatem Dei celebrandam animari posset. Sed & alia ratione gloriæ divinæ SUMMA SAPIENTIA consuluit. Eam enim esse carnis stultitiam sciebat, ut de impotentia sua ad salutem ægerime convinceretur, quin potius perversis indulgens ratiociniis, suisque viribus sacrilego ausu subnixa, proprio merito sibi ipsi ad beatitudinem viam pandere, quam eam in solidum a benignissimo Numine emendare mallet. Hæc corruptæ naturæ stoliditas nisi radicatus evelleretur, de gloria gratiæ divinæ unice debita actum erat. Quare SAPIENTIA, imposito severæ legis inter tremenda miracula horrendasque minas jugo, non refractariorum tantum compescuit proterviam, sed etiam periculum faciendi, quid in divinæ legis obedientia humani humeri valerent, ansam dedit. Immensum vero præceptorum carnalium externum cultum injungentium cumulum ea fini addidit, ut impuritas carnis & persistens peccatorum reatus iis simul indies exprobraretur, & fidelium simul pectora cupiditate videndi ac amplexandi eum, qui ab omni legis & peccati onere fessos exsolveret, implerentur. Quis hæc omnia animo volvens non agnosceret, summo jure SAPIENTIAM de se testari, quod coram *Jehova omni tempore,*

H

deinde usque ad tempus

pore, sub ipsis etiam veteris Oeconomiæ tenebris, mirabilem in modum luserit? (a)

Sed jucundius eadem in frugifera terra ludere perrexit, quando inter filios hominis, quibuscum deliciae suæ erant, se coram conspicendam, audiendam ac osculandam præbuit. Tum vero radii SAPIENTIAE cœlestis, qui tamdiu cum nocte præcedentium seculorum luctaverant, omnia repagula perrupere. Josephi Sapientiam quis ignorat, qua imbutus erudiebat Principes Ægypti anima sua, seu consilio suo, & seniores ejus docebat? (b) Moses eruditus fuit in omni Sapientia Ægyptiorum. (c) Davidis Sapientia erat sicut Sapientia Angeli Dei. (d) Et quam grandia sunt, quæ de Salomonis Sapientia prædicantur? Indidit Deus Sapientiam Salomoni: & intelligentiae multum admodum: & amplitudinem animæ, sicut arenæ, quæ est in littore maris. Erat enim Sapientia Salomonis major, quam Sapientia omnium Orientalium & quam omnis Sapientia Ægyptiorum. Sapientior etiam fuit omnibus hominibus, & quæ sequuntur. (e) Sed hæ figuræ tantum erant in Filio Dei, post adventum ejus in

(a) Proverb. viii. 30.

(b) Ps. cv. 22.

(c) Act. vii. 22.

(d) 2 Sam. xiv. 20.

(e) 1 Reg. iv. 30--34.

in carnem, implendæ. *id* Licet *Regina Austri* venerit a terminis terræ, ut audiret Sapientiam Salomonis, ecce tamen, hic plus est, quam Salomo. (a) Statim a pueris implebatur Sapientia, (b) & in ea ad stuporem omnium proficiebat. (c) Mox autem se SUMMAM esse SAPIENTIAM actu comprobavit, cum Prophetæ & Doctoris in Israële munus obiens, Deum, quem nemo unquam viderat, explanaret, (d) cum nomen Patris hominibus manifestaret, (e) cum verbis factisque omnibus commonstraret, quiescere super ipsum Spiritum Sapientiae & prudentiae, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum cognitionis & timoris Domini: (f) & quod unixerit eum Jehova ad Evangelium annuntiandum mansuetis. (g) SAPIENTIAE porro gloriam adseruit, quando ut perfectus Pontifex, quicquid sciebat jus Dei exigere, nec non oracula typosque a diebus seculi promisisse, ita accurate obedientia exactissima & sacrificio in cruce oblato præsttit, ut Christum crucifixum tanquam omnis Sapientiae salutaris compendium Apostolus considereret, extra quem nihil inter Corinthios scire

H 2

dignum

- (a) Matth. xii. 42.
- (b) Luc. ii. 40.
- (c) Ibid. vs. 52.
- (d) Joh. i. 18.
- (e) Joh. xvii. 6.
- (f) Jes. xi. 2.
- (g) Jes. lxii. 1.

dignum reputabat. (a) Nullibi vero se luculentius Sapientiae Salomonææ verum esse archetypum probavit, quam ubi fasces regni Israëlis in throno Davidis occupavit. Percenseantur heic omnia Ecclesiæ intervalla, notentur fata ejus & vicissitudines a Spiritus sancti effusione ad consummationem usque seculi. Quam sublimem & supra omne consilium humanum evectam singula spirant Sapientiam! Nam ut alti sunt cœli præ terra, sic altæ sunt viæ Jehovæ præ viis nostris, & cogitationes ejus præ cogitationibus nostris. (b) Vir brutus non novit & stultus non animadvertisit hoc. (c) Quin omnes astus & doli inimicorum regni ejus ita confunduntur, ut pereat sapientia sapientum, prudentiaque prudentum Iesu abdat. (d) Porro quam concinne partes gressusque omnes Sapientiae inter se conveniunt, cum dies diei eructet dictum & nox nocti indicet scientiam! (e) Quam egregie ubique perfectiones divinæ lucent! Quam prudenter omnia præfixum finem attingunt! Deus seculi, Jehova, creator finium terræ, non delassabitur & non fatigabitur:

(a) 1 Cor. 1. 22-25. II. 2.

(b) Jes. LV. 9.

(c) Ps. XCII. 7.

(d) Jes. XXIX. 14. XLIV. 25. Obad. vs. 8. 9. 1 Cor. I. 19. sq.
III. 18.

(e) Ps. XIX. III.

tur: non est perscrutatio intelligentiae ipsius. (a) Profecto magnus est Dominus noster, & amplius viribus, & prudentiae ejus non est numerus. (b) Ad structuram sanctuarii umbratilis Bezaleelis & Aholiabi requirebatur solertia, quos Jehova implevit Spiritu Dei, peritia & intelligentia, notitiaque & omni arte. (c) Quanto vero illustrius Architectrix Sapientia suscepit ac perfecit opus, ædificans domum illam spiritualem *septem columnis* suffultam, in qua opiparas omnissufficientiae dapes exposuit? (d) Quis igitur Agno cum columnarum *septem* coagmentatione totidem sigilla decreti divini aperiunti non tribuat Sapientiam, Angelorum æmulus, qui thronum Dei cingunt? (e) Quis non ubique ingeminet: *Hic est Sapientia!* (f) *Hic est mens, quæ habet Sapientiam!* (g)

O admirabilem SUMMÆ SAPIENTIÆ splendorem! O amabile miseris homuncionibus in tenebris hujus ævi degentibus jubar! *Quis est sapiens?* & consideret hæc. *Prudens?* & agnoscat illa. Nam rectæ sunt viæ Jehovah & justi ambulabunt in eis, &

H 3

defe-

- (a) Jes. XL. 28.
- (b) Ps. CXLVII. 4. 5.
- (c) Exod. XXXI. 3.
- (d) Prov. IX. 1. 2.
- (e) Apoc. V. 11. 12.
- (f) Ib. XIV. 18.
- (g) Apoc. XVII. 9.

defectores impingent in eis. (a) Merito igitur in jugem ejus meditationem ac celebrationem vires animi corporisque omnes insumimus. Quid enim præclara vel mediocris sapientiæ inter homines laude illustrius, quid venerabilius censemur? Quanto major ei honos competit, ad cuius Sapientiam omne ingenii humani acumen nihil est, nisi quod scintilla ad solem & minuta guttula ad oceanum! Neque id tantum. Sapientiam prædicamus & suspicimur, etiam cum nullus aut exiguus ejus fructus in nos redundat. Quidni ergo illius SAPIENTIÆ amore incenderemur, quæ omnes thesauros suos in nostræ salutis instaurationem profudit? Illane SAPIENTIA delicium esset generis humani, quæ non nisi in nostra salute deliciari voluit?

Hæ sunt AA. partes nostræ: hoc ab omnibus, quibus vel mica veræ prudentiæ sub pectori salit, SAPIENTIA exspectat. Idque eo magis, quia Sol est, qui non sibi solum, sed orbi universo splendet. Lux est, sed *in qua lux videtur*, (b) quæ illuminat omnem hominem. (c) Pater est

lumi-

(a) Hos. xiv. 10.

(b) Ps. xxxvi. 10.

(c) Joh. 1. 9.

luminum, (a) quia filios lucis (b) habet, qui ab eo illustrati ipsi quoque lumen in se possident & de se spargunt. Lux hæc SUMMÆ SAPIENTIÆ resplendet in Angelis lucis, quibus quam maxime volupe est in mysteria passionum & gloriæ Christi introspicere. (c) Resplenduit in primo homine, qui vivam cœlestis SAPIENTIÆ imaginem suo intellectu circumgestavit. Quin ex ipsis spississimis hominis per peccatum obnubilati tenebris lux Sapientiæ postliminio emicat, quando vi meriti Christi, tanquam secundi Adami, qui nobis factus est SAPIENTIA a Deo, (d) novus homo induitur, qui renovatur in cognitionem congruentem imagini ejus, qui ipsum condidit. (e) Ab hac enim læta status sui immutatione electi agnitione voluntatis ejus implentur cum omni sapientia & intelligentia spirituali, ut ambulent, sicut Domino convenit, per omnia Dei placentes, omnis operis boni fructum profrentes, & crescentes in agnitione Dei. (f) Ita fiunt lux in Domino, (g) & pleni oculis ante & retro, (h) sapien-

- (a) Jac. 1. 17.
- (b) Ephes. v. 8.
- (c) 1 Petr. 1. 12.
- (d) 1 Cor. 1. 30.
- (e) Col. 1. 11. 10.
- (f) Col. 1. 9. 10.
- (g) Ephes. v. 8.
- (h) Apoc. 1. 4. 6.

pientiam adulorum nanciscuntur. (a) Et si quis inter eos præ aliis prudentia spirituali ac robore ad pugnandum pro fide Evangelica eminet, SAPIENTIÆ SUMMÆ id acceptum referet, quæ promisit: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neque obſistere omnes, qui ſe vobis opponent.* (b) Ex parte tamen hactenus cognoscunt & ex parte prophetant, (c) donec plenissima in futuro ſeculo gloriæ illius, quam SAPIENTIA a Patre accepit, luce circumfusi, ſimiles Domino evadent, quoniam videbunt eum, ſicut est, (d) atque ita, quod in hac tenebrarum valle imperfecte cognovere, cognofcent, uti & cogniti ſunt. (e) Liceat heic in meliorem ſenſum translata Poëtæ adhibere verba:

- - - Deus ipſe fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui Princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia, quiqe per artem
Fluctibus e tantis, vitam, tantisque tenebris,
In tam tranquilla & tam clara luce locavit. (f)

Verum enimvero haud facile eſt venire illo, ubi ipſa
eſt

- (a) 1 Cor. 11. 6.
- (b) Luc. xxi. 15.
- (c) 1 Cor. xiii. 9.
- (d) 1 Joh. 111. 2.
- (e) 1 Cor. xiii. 12.
- (f) LUCRETIUS lib. v. vſ. 8.

est sapientia, & spissum est iter, ut ait ille. (a) Quare tam beatæ lucis semini intellectui cœco instillando SAPIENTIA SUMMA aptissima novit adhibere media. Externe quidem utitur verbo revelato, quod est sermo sapientiae, (b) testimonio illo veraci, quod sapientiam adfert imperito, præceptis illis puris, quæ illustrant oculos. (c) Hæc sunt verba sapientum similia aculeis & similia clavis infixis, leclissima, tradita a Pastore uno, (d) quæ sapientiorem reddunt inimicis, (e) quæ sapientem reddunt ad salutem. (f) Lumen hoc jam in scholis Patriarcharum accensum per Prophetas, quibus tanquam stellis nox V. T. fuit interpunkta, lucernæ instar splendentis in obscuro loco, electorum animos irradiare perrexit, donec dies illucesceret & Phosphorus in cordibus eorum exoriretur. (g) Tum, tum Sapientia apparuit in foris & plateis edens vocem suam & in summo turbarum proclamans. (h) Tum populus ille, illi ambulantes in tenebris, viderunt lucem magnam: sedentes in terra umbræ mortis, lux exsplenduit super illis.

I

Hanc

- (a) TURPILIUS apud NONIUM MARCELLUM in *Spissum*.
- (b) I Cor. XII. 8.
- (c) Ps. XIX. 8.
- (d) Eccles. XII. 13.
- (e) Ps. CXIX. 97. 98.
- (f) 2 Tim. III. 15.
- (g) 2 Petr. I. 19.
- (h) Prov. I. 20. 21.

lis. (a) Hanc facem a Sapientia ipsa sublatam per manus quasi sequentium temporum Doctribus tradidere Apostoli atque Evangelistæ , prodigia illa SAPIENTIÆ , (b) & lux mundi (c) , in quorum cordibus Deus , ipse Deus , splenduit , ad præbendum lucem notitiæ glorie Dei , in facie Jesu Christi. (d) Ita specularia Ecclesiæ crystallo vel pyropo sunt disposita. (e) Et quamvis novis lux hæc lapsu temporis sit obfuscata nebulis , fumo ex puteo abyssi , instar fumi fornacis magnæ , Solem obscurante , (f) ac lucernam verbi subter modium ponente improbitatis cathedra , (g) miserta tamen iterum est SAPIENTIA pereuntis per inscitiam populi , novisque viribus sub tempore Reformationis in fastigio editorum locorum clamavit (h) : populis vero a meretrice Babylonica blanditia labiorum seductis , ut eam sequerentur , tanquam bos ad mactationem abit , & velut compeditus ad eruditionem stultorum , (i) suam denuo præstantiam , suas divitias aperuit. Eadem fini ad perfectio-

- (a) Jes. IX. 1.
- (b) Jes. VIII. 18.
- (c) Matth. V. 14.
- (d) 2 Cor. IV. 6.
- (e) Jes. LIV. 12.
- (f) Apoc. IX. 2.
- (g) Matth. V. 15.
- (h) Proverb. VIII. 2. sq.
- (i) Proverb. VII. 21. 22.

fectionem structuræ domus suæ magnis passibus progrediens, laetumque in glorioso ultimorum temporum regno convivium apparans, puellas suas ad invitandos fatuos etiamnum in ipsa loca excelsa urbis mittit. (a)

Interea lucerna hæc incassum peccatori succensa esset, nisi mentis nativa cœcitas tolleretur, veritatisque, quo imbuta est, odium in ejusdem amorem ac studium converteretur. Externo igitur adminiculo Sapientia illuminantem ac vorticordiam vim Spiritus sui interne jungit, qui tanquam *Spiritus sapientiae & revelationis oculos mentis illuminat* (b), de peccato, justitia & judicio arguit (c), ac in omnem veritatem dicit. (d) Spiritus hic ab omni ævo SAPIENTIÆ & verbi ejus induitus comes fuit. Nam cum mundo antediluviano jam disceptavit, (e) & cum Angelo faciei in deserto a populo rebellante dolore affectus est, (f) & in Prophetis, tanquam *Spiritus Christi, passiones ejus & gloriam illas secuturam* (g) declaravit, & fidelium ductor, consolatorque fuit. (h) Erat tamen haec tenus

I 2 Spiritus

(a) Prov. ix.

(b) Ephes. i. 17. 18.

(c) Joh. xvi. 8.

(d) Ibid. vs. 13.

(e) Gen. vi. 3. coll. i. Petr. iii. 19.

(f) Jes. lxiii. 10.

(g) i. Petr. i. 11. (h) Ps. li. 13.

Spiritus servitutis, (a) operationesque suas tam parte in fidelibus exserebat, ut ob exiguum luminis ac gratiae mensuram Christo nondum glorificato vix Ecclesiæ adesse censeretur. (b) Quare cum cœlos SAPIENTIA, justitia seculorum adducta, petret, Spiritum hunc tanquam indicem alterum populo suo reddidit, (c) cuius ope omnes Zionis filii a Deo edocti sunt, (d) eo usque ut unctionem habentes a Sancto illo nesciant omnia (e), nec necesse habeant, ut quisquam eos doceat (f). Quemadmodum autem fluvius, quo longius a scaturagine progreditur, eo latius aquas diffundit, donec ipsi tandem miscetur Oceano; ita aquæ Spiritus ex throno SAPIENTIÆ profluentes tam laxo in suprema mundi & Ecclesiæ ætate ferentur alveo, ut plena futura sit terra hæc Scientia Jehovæ, velut aquis fundum maris operientibus. (g) Tum erit lux Lunæ ut lux Solis, & lux Solis erit septupla, tanquam lux septem dierum. (h) Tum non occidet amplius Sol Zionis, & Luna ejus non condetur, quia Jehovah ipse, ipsa

SA-

(a) Rom. VIII. 15.

(b) Joh. VII. 39.

(c) Zach. IX. 12.

(d) Jes. LIV. 13.

(e) 1 Joh. II. 20. 27.

(f) Jerem. XXXI. 34.

(g) Jes. XI. 9.

(h) Ibid. XXX. 26.

SAPIENTIA, erit ei in lucem seculi. (a)

Habetis AA. OO. quam pleno jure SAPIENTIÆ nomen Filius Dei de se adhibeat. Ne autem aliquid neglexisse videamur, quod ad elegantiam atque emphasis cognomenti hujus spectat, binæ quæstiones, antequam colophonem orationi nostræ imponamus, brevissimis expediendæ restant, altera cur terminationem fœmininam, altera vero cur numerum pluralem Salomo adhibuerit?

Muliebre genus de summo Sapientiæ authore adhibitum singularem spirat efficaciam. Cum metaphoras ad omnigenam Messiæ pulchritudinem exprimendam ex toto universo Scriptura mutuetur, cum ipsa etiam bruta & res inanimas in censum heic vocet, fœminei quoque sexus proprietates inter hieroglyphicas ejus figuras non respuit. Ad hostias sane typicas sacrificium Christi adumbrantes non juvenci tantum, sed & vacca rufa pertinet. (b) Et annon ipse Salvator sub imagine mulieris drachmam amissam querentis studium suum lucrandi animas electorum expressit (c)? Rationem emblematis hujus indagantibus opportune occurrit constans Spiritus Sancti, sub sche-

I 3 mate

(a) Jes. LX. 20.

(b) Num. xix. 2. coll. Hebr. ix. 13.

(c) Luc. xv. 8.

mate muliebri *Doctores Ecclesiae* affabre pingentis, consuetudo. In nemine autem istud efficacius, quam in summo Doctore quadrat, tum quia ille, uti visum, fœcundus quasi omnis Sapientiæ uterus est, in quo illa concipitur, formatur, nutritur atque ad perfectionem ducitur: tum, ut infirmitas doctrinæ regnique Christi coram carne & blanda simul atque flexamina, quoad electos, vis repræsentetur: tum denique ut oppositio inter SAPIENTIAM, nativam fucique omnis experiem formæ pulchritudinem ac sermonis gratiam præ se ferentem, & Stultitiam meretricio cultu fraterisque verbis languidam, fiat evidentior.

Istud vero non minus singulare est, quod non *Sapientia* tantum, sed etiam per vices חכמוֹת, SAPIENTIÆ, plurali numero dicitur. Cujus quidem flexionis caussam non in sola excellentia, quam abstracta vocis forma jam satis abunde designabat, nec in objectorum tantum, circa quæ versatur, varietate innumerabili, sed in ipso potissimum subsistentiæ ejus personalis & Sapientiæ cœlestis per Filium revelatæ modo quærendam esse censeo. Instar ejus rei in divino nomine אלהים deprehendimus. Licet enim istud plurali suo Triunum Numen universim comprehendat, singulis tamen personis & sigillatim soli Filio sc̄e-
8.vii. pissime

pissime tribuitur, tum ob unitatem essentiæ divinæ, cuius vi *Filius non est solus*, (a) quia una persona nunquam est aut operatur sine altera, & quicquid, præter characteres illos singulares, quibus una ab altera distinguitur, uni tribuitur, omnibus convenit: tum quia omnis plenitudo Deitatis corporaliter in eo habitat (b). Ille mysterium adorandæ Trinitatis multis hactenus obsitum nebulis per doctrinam suam clarissime edocuit. In redemtione porro, quam præsttit, thesauros omnisufficientiæ totius Trinitatis sinu suo complexus est. Denique in facie ejus thronum Patris occupantis universa Trinitas honoratur. Ad eundem idcirco modum SAPIENTIAS dici Filium Dei convenit, quia non quoad illam duntaxat excellentiam, quæ Sapientiæ nomine exprimitur, cum Patre & Spiritu sancto unum numero ens sapientissimum constituit, sed etiam summam Sapientiæ Sanctorum (c), quæ omnibus personis simplicissime ac simul inest, præstantiam, miracula, opes, qua Propheta docuit, qua Sacerdos impendit, qua Rex exserit & communicat. (d)

Ec-

(a) Joh. VIII. 16.

(b) Col. II. 19.

(c) Proverb. IX. 10.

(d) Celeberrimus COCCEJUS, quamvis ab hac pluralis emphasi non

Eccum igitur vobis, AA. fontem Sapientiae omnis lippidissimum & ubertimum in medio possum! Eccum aditum apertum omnibus, quorum de meliore luto Deus præcordia finxit, qui que cœlestis originis ac immortalitatis suæ memores ea veritatis cognitione imbui desiderant, quæ illos Deo similes & lucis æviternæ compotes reddat! Hujus SAPIENTIÆ dum Dium intueor jubar, dum inexhaustam considero penum, dum incredibilem invitantis perpendo benignitatem, perit omnis sollicitudo, & timor ex consideratione imbecillitatis meæ subortus evanescit. Ope-ram, quam illa omnibus gazas ejus anhelantibus ultro offert, nec mihi humillime petenti dene-gabit. Præcipue cum in ea, quam auspicio, imperio & ductu SUMMÆ SAPIENTIÆ, jam

non sit alienus, putat tamen capite nono Proverbiorum per **חכמתה** non sigillatum Filium, sed totam Trinitatem & proxime Spiritum Jehovæ Filio junctum esse intelligendum. Simplicius tamen est, si statuas, eandem personam loquenter continuare, cum prædicata & actiones, quæ memorantur, apprime in Filium congruant: cumque in primo Proverbiorum capite idem numerus pluralis **חכמות** Filio privus sit, uti nexus suadet, & apud optimos Interpretes ipsumque Coccejum extra controversiam est. Quando vero **חכמתה** & **חכמה** alternatim adhibentur, istum ipsum ad mysterium SS. Triados referendum esse videtur, scilicet ut Scriptura doceat, Sapientiam quidem esse personam a Patre & Spiritu Sancto distinctam, sed nihilominus cum iisdem perfectissime ac simplicissime unum.

Q. 4. Z. 1. fol. 61v. secundum nunc

nunc ingredior, provincia nihil extra eam sape-
re, sed potius divitias ejus aperire, ejus honori
unice velificari in animo meo instituerim. Im-
pius essem munera in vermiculum indignissimum
collati æstimator, si desiderium meum enixum
inter discipulos SAPIENTIÆ ad valvas sanctua-
rii ejus omnibus diebus vitæ meæ excubandi dis-
simularem. Ita enim pulchritudo ejus, ubi pri-
mum splendore suo cordis mei nativam illustra-
re cœpit caliginem, in admirationem ac amo-
rem me diripuit, ut meo saltem modulo cum
Apostolo profiteri non erubescam, quod omnia
ducam *damnum esse & pro stercoribus reputem*, pro-
pter eminentiam notitiae Christi Jesu Domini mei (a). In
hac SUMMÆ SAPIENTIÆ cognitione & pro-
ficere indies & aliis prodesse, hæc votorum meo-
rum summa, hic felicitatis mihi apex erit. Hos
igniculos in pectore meo flagrantes ita Ipsi illi,
quam celebro, SAPIENTIÆ acceptos refero, ut
eosdem pignoris loco habeam, cum *dona & vo-
catio sua eam pœnitere nequeant (b)*, eam lumine gra-
tiæ suæ, quod ultra omne meritum in alio mihi
indulxit curriculo, in illa, quam nunc ingredior,
orbita mihi non defore.

K

Hac

(a) Phil. iii. 8.

(b) Rom. xi. 29.

Hac spe fretus, AMPLISSIMI PROCERES,
 Urbis Academiæque Præstites, benevolentiam
 vestram apprimè insignem, quæ me, peregrinum
 atque immerentem, SAPIENTIÆ SUMMÆ in Lyceo tam illustri, sub oculis & alis ve-
 stris, voluistis esse interpretem, grata mente ex-
 osculor, munerique tam eximio ac invidendo,
 quod Deus O. M. Ecclesiæ suæ, præcipue vero
 celebri huic Sapientiæ divinæ ac humanæ Sacra-
 rio faustum atque salutare esse jubeat, humeros
 meos volens lubensque admoveo. Vesti favoris
 tam largo inundatus rore, meam vobis fidem,
 venerationem atque obsequium obstringo.

Vester, quid valeant humeri, quid ferre recusent,
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.
 Si quid mihi facultatis ac virium benignum Nu-
 men aut concessit, aut porro largiri volet, id
 omne alacriter impendam, ut neque me suscepti
 laboris, neque vos beneficii in me collati un-
 quam pœniteat. Obversabuntur jugiter oculis
 meis tot præclaræ Virorum Celeberrimorum,
 decessorum meorum, quorum opera Academia
 hæc in tantum decus crevit, imagines. Fuisse
 inter illos, quorum institutione atque amicitia
 usus sum, memori mente recolo. Nunc eorum
 ita legam, auxiliante Deo, vestigia, ut quod
 viri-

viribus ingenii , quod eruditioni , quod rerum usui decedit , industria mea , ac de studio Sapientiae cœlestis , de hac Academia , de juventutis hoc flore bene merendi desiderio impleam .

Ita agens vestrum facile favorem , vestram amicitiam mihi promitto , PLURIMUM REVERENDI SAPIENTIAE DIVINÆ PROFESSORES , quibus arctiori vinculo me sociare voluit divina providentia . In castris SAPIENTIAE SUMMÆ strenue depugnantes me commilitonem non respuite , currentique prudentibus vestris consiliis ac monitis fidelibus , quibus me asperum nunquam præbebo , incentivum addite . Si nihil aliud , Virum sane Pacis vobis promitto , concordiaque & confessionis pertinacem adeo cultorem , ut quovis eam pretio redimere in maximi lucri parte sim habiturus . Quotquot autem & reliquarum facultatum adestis , PROFESSORES EXCELLENTISSIMI , ita de me sentiatis , impense rogo , me , sicut in collegium tam eximum atque præfulgens hodie adscisci ingenti mihi honori duco , ita observantiae reverentiæque vobis debitæ memoriam nisi cum vita nunquam depositurum esse .

Vobis vero , JUVENES EGREGII , SAPIENTIAE SUMMÆ ALUMNI , meus amor , meæ

K 2

deli-

deliciæ , vobis me totum , & quicquid in me est ,
dico atque consecro. Vos ad penitissimos SAPIEN-
TIÆ introducendi recessus , vobis comitibus &
ad seclis in præruptum ejus paucisque adeundum
enitendi verticem flagro desiderio. Vos ubi ardere
sentiam , ipse inflammabor. Macti ergo estote
virtute vestra , & Timorem Domini Sapientiæ initium
esse ad animum semper revocate. Relinquite fatuos
& vivite , ac incèdite in via prudentiæ. Illi , agite ,
litemus Sapientiæ , non quæ vanæ nihilque pro-
futuræ scientiæ typho intellectum duntaxat im-
pleat , sed quæ voluntatem simul veritatis amore
constringat , totumque vitæ ac actionum omnium
tenorem ad gloriam Jehovæ , tanquam ultimam
creatûræ rationalis metam , prudenter , constan-
terque dirigat. Ejuratis ergo cœcæ mentis præ-
judiciis , & carnis ratiociniis , tanquam impuris
paludibus relictis , ad perennem veræ Sapientiæ
scatebram enitamus , ejusque commercio per pre-
ces & jugem verbi divini meditationem adsuesca-
murus. Ipsum denique SUMMAM SAPIENTIAM
in exemplar ob oculos nostros ponamus , cui quo
propius conformabimur , eo amplior evadet ,
quem in testaceis his vasculis gestabimus , Sapien-
tiæ thesaurus. Conformabimur autem , quando
do eam comparabimus Sapientiam , quæ superne
est ,

est, quæ primo quidem est casta, deinde pacifica, æqua,
morigera, plena misericordiæ & fructuum bonorum: si-
ne disceptatione & simulatione. (a)

Ad tuos autem jam pedes, o SAPIENTIA SUMMA, o lux & vita mundi, supplices advolvimus. Te
quæsumus, accende lumen de lumine tuo in mentibus no-
stris. Dispelle omnes ignorantia ac errorum, quibus
obnubilati sumus, tenebras. Expugna sensum illum car-
nis, qui a veri rectique tramite nos toties transversos
agit. Aperi per Spiritum tuum oculos intellectus nostri,
ut pulchritudinem tuam recte agnoscamus & in tui amo-
rem atque obsequium toti rapiamur. Mitte lucem tuam
& veritatem tuam, illa ducent nos ad montem sanctum
tuum & ad tabernacula tua. Praecepsisti in verbo tuo:
Si quis vestrum deficitur Sapientia, petat a Deo, &
dabitur ei. Hujus dicti tui veracis jam nunc memor
esto, famulique tui indignissimi miserere, qui nutui tuo
obsequens Doctoris in hac officina tua muneri se accin-
git. Elue culpas ejus omnes, atque oleo Spiritus tui
eum largiter perfunde. Suffice ingenio ejus acumen &
perspicacitatem, judicio prudentiam & dexteritatem, vo-
luntati veritatis amorem atque in ea ad cineres usque
tuenda constantiam, corpori denique robur, ut omnibus
officii sui partibus ad honorem tuum rite defungi queat.
Dignare, eja mitissime Jesu, servulum tuum vilissimum
propiori tecum commercio. Commonstra ei gloriam tuam,
ut ipse fulgore ejus illustratus ad eam aliis prædicandam
aptior evadat. Propitius esto universæ Ecclesiæ. Cho-
rum puellarum ad dapes & pinguedinem domus tue invi-
tantium adauge. Irritas redde artes meretricis Anti-
christi.

(a) Jac. II. 17.

christianæ, stolidæ illius mulieris, quæ adhuc dum sedet ad ostium domus suæ, in throno celorum urbis, ut vocet transeuntes in via, recta itinera facientes. Audi gemitus vincitorum & solve filios occidionis. Fuge, Dilecte mi, Dilecte adflictæ tuæ Zionis, & adsimilare capreolo, aut pullo cervorum in montibus aromatum. Flecte corda Regum & Magnatum, ut gloriam suam omnem in pomæria Hierosolymæ novæ transferant. Conserva, ut pupillam oculi tui, fæderatum Belgium. Constitue urbem hanc in fortalitium, Proceres nostros in columnas & ornamenta, Academiam hanc in seminarium Ecclesiæ tuæ. Docentium curis, discentium conatibus ex æquo benedicito. Atque ita sit **TIBI REGI SECULORUM IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI SAPIENTI DEO, HONOR ET GLORIA IN SECULA SECULORUM, AMEN!**

F I N I S.

E R R A T A O P E R A R U M .

P. 14. lin. 10. post: abstrahi, pone &. P. 15. lin. 3. l. aut. P. 18. lin. 1. dele: sit. P. 28. lin. 16. l. iri. P. 72. lin. 27. l. חכמתה.

CUM VIR CELEBERRIMUS
FREDERIC. ADOLH. LAMPE

Professoris Theologiae Ordinarii munus ingrederetur;
QUINTI: VIII. KAL. JUL.

ipso die JOHANNIS BAPTISTÆ,

"Οσιε ἡν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος τοῦ Φαίνων.

EPIGRAMMA.

Nox erat, induxta piceis è nubibus umbrâ,
Lætitiae, Solymæ turba latebat, inops;
Phœbæâ subitò lustrabat LAMPADE terras
Aurora, Hæc Domini Prodromus ipse fuit:
Mox SOL de summi radiavit vertice cœli,
Augustumque micans misit ab axe jubar.
NUNC, ubi subludent fugiente † crepuscula Sole,
Aut, si nox abiit, * non tamen orta dies;
Cum fulget rutilo LAMPAS splendore coruscans,
Suspensa in celebri sede, potente manu:
Ominor, approparet rapidis advecta quadrigis
Ultima LUX, mundi vespere sponsa piis.

† Esa. LIX. 10. * Zach. XIV. 7.

L. M. Q.

ALBERTUS VOGEL.

V.D.M. Heemst.

לכבוד אדוני איש המפואר בחכמו
מורנו פרוי דעריך אדרולף לאםפהן
ביום שנשא לראש הישיבה הוה.

קודם ימים רכבים את עמודיה
שבעה חכמה פקדה: ותראה עשן
מלא בית שמקטורת צדיקות
עליה ובקל תוריים צועקים: עם חזון
מורא נגשו אלך מלכה הנדרולה;
תבנה לנו חומת הישיבתנו:
קומי וענה בצלתה מכשלה:
זאת תחת ידר בכ' את צורה חבלנו:
אללא החכמות הוממה הקשת משמע:
בן צדיקים חוממים דמי למלכת
לא נתנו על בן נשירה לבה בדמע:
ותעלה על כסאה שוטה בלכת:
בואה בארץ שנשמע פ"אלין חזתה
שם איש דעת כתר ציבור התומה
שלבו רוצה לצורת לרחותה:
אבל כי הרשעים שם שוטים כרמלה
עלכן הריקה לו חנה ותא זל
סובבה פנים צפונה אל עיר ברעם מה:
שם צאן מרעיתה שכוב על צור נזול

מי

מ' שלוח כי מלאה ארץ השלומה:
בחזותה זאת המלכה מיד ירדה
mobol קדרה ועטרת הגבירותה
מעטירה: הושיטה שרבית הכבודה
לאטפה: וחאמר גע ראש מטה:
אלא הוא נבעת ען הדברים
האל-ויפל לפני רגלי חכמת
ויתחנן כי העבירה כום צירם
וiodah לעניות דעתו ועزمות:
או מלכה אמרה: אל תמאס בכרית
כי טפחת אוחך להיות לי עמוד
כהן גהول נר ומנורה לשרת
בקדרשי: את אתה לי מכל החמוד
הן אשאר ואני אויליך לימינך
אהבתי חמלתי וזרוע תפארתי:
ולשון למודי היהוה אתה:
روح שכך שמתה תורהך יראתי:
אורו וכבודי עליך יאמן:
תוישע לך ימין תסמכך הנפש
להיות נרך שוכח על מש פע שטן
קרני כבוד תמיד מוציא כשמי:

F. SMIT.

* * *
Quæ modo flere tuos grandes , Academia , casus ,
Quæ modo fatorum de gravitate queri ,
Define flere tuos grandes , Academia , casus ,
Desine fatorum de gravitate queri .
Ecce novo fuscat tua jam splendore cathedra ,
Obscuransque alias exserit ipsa caput .
Sol veluti nitidam solet obscurare Dianam ,
Astrorum ut ceteras Luna serena faces .
Nam cum Brema tuis tibi LAMPADA tradit Athenis ,
Splendentemque tibi porrigit illa FACEM ,
Quis neget & puro diffusum lumine cœlum ?
Et lucere tibi quis sine fæce facem ?
Salve Cauchorum LUX o celeberrima Terræ !
Salve Bremani Lux veneranda soli !
LAMPI , cui Juveni famam pulsata dedere ,
Cymbala , perdocta quæ crepuere manu .
LAMPI , qui Scriptis , quæ tunc peritura (nec ante)
Exitio terras cum dabit una dies .
LAMPI , qui Scriptis , quæ non peritura , beasti
Orbem , qui nomen LUCIS & omen habes .
LAMPI , qui Christo venturo in vespere mundi
Præfers ardenter Luciferamque facem .
Talis erat partus & nati nuntia Regis
Quondam stella Magis causaque duxque viæ .
Talis erat quondam Lampas , quæ prætulit ipsi
Justitiæ Soli Luciferoque facem .

Talis

Talis erat fatuis, prudenter, adversa puellis
Sponso, Turba ruens obvia promta, suo.
Scilicet, ut Persis qui cœlo prævius ibat,
Monstrabat rutilans Ignis adesse DEUM.
Scilicet, ut Christum, vatum decus, inclytus ille
(Major enim nullus Præco Johanne fuit)
Scilicet ut Christum, venientem tempore pleno
Ostendit clara voce, manuque, Dei.
Virgineus velut ille chorus, qui Pallade plenam
Gestabat pingui Lampada, mente sagax.
Sic & adesse DEUM, sic Christum hac vespere mundi,
Præsentem, Præco, stellaque, Faxque refers.
Et cum sint largo tua vasa referta liquore,
Splendorem agnoscent secula cana tuum.
Noscitur ungue leo; quæ sit SAPIENTIA SUMMA
Divino eloquio dum, Venerande, refers,
Quis dubitet Tua quod Sapientia compleat orbem?
Quin ea multa DEO corda sacrata trahet:
Testis adest nupero quæ te Splendore corona
Cinxit, & a nitida pendula voce fuit.
Quæque tuas dotes tacite mirata repente
Hos sibi vel similes visa referre sonos:
Hauriet hoc ex ore DEUM studiosa juventus
Mysticaque abstrusi pagina quidquid habet.
Pagina divinæ sese, hoc interprete, legis
Nunc minus obscuram, quam dedit ante, dabit.
Ite leves elegi terras hoc ferte per omnes
Nomen, quas lustrat sera recensque dies.
Salve Cauchorum LUX O celeberrima Terræ

Salve

Salve BREMANI LUX, veneranda Soli.
O Sanctum LAMPI nobis caput, exige puros
Exige Io placidos & sine fæce dies.
Allucere TIBI seros det diphthera cœli.
Soles, & nitidos, Vir Venerande, dies.
Sic vigil astusa Lampas quæ Pallade turget,
Splendet; & usque diem protrahit illa jubat.

Ita officium suum

Erga Virum maxime venerandum atque
Clarissimum, cum ex Bremensi evo-
catus Ecclesia, Trajectinam, ad SS.
Theologia Professionem suscipiendam
ritè, conscenderet cathedralm, testa-
batur:

DANIEL GERDES, Brem-Saxo.

SS. Th. Stud.

Amicorum
Divisio
V. V. V.
Guis dupluerit ius duplex spissius complicitus
Quid es mihi DIO corde fortior
Tulsi sibylla unquam dum est
Civixit, & a littoralibus voces finit
Gaudens trius doles tacto miretae letabore
Hoc tibi deo filius ait regale lumen
Amicorum postea non nos
Cordis hinc hinc autem dupluerit
Paganus thineas ferre, per iniquitate, vixit
Vnde minit ope nra, dum nra, qd
Tie jaceat elegi terres proq fests per omnes
Mouere, datus iugiter fests locupletis
Euge Cognitorum PUK O cognitorum fests


Systole







Farbkarte #13



R. ADOLPHI LAMPE
RATIO
AUGURALIS,
DE
MA SAPIENTIA,

professionem Theologiæ Ordinariam
auspicaretur,

A TRAJECTI AD RHENUM

viii. KAL. JULII. clc Icc xx.



TRAJECTI AD RHENUM,
GUILIELMI VANDE WATER,
Amiæ Typographi, clc Icc xx.

TMD 171

73/5

Lampe

M 29.468